





XII.

*DISPUTATIO IURIDICA*  
DE  
**COLLISIONE**  
**PRAESUMTIO-**  
**NVM,**

*QVAM*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**D N F R I D E R I C O**  
**W I L H E L M O,**

CORONAE BORUSSICAE, ELECTORATVS BRANDENBURGICET CETERARVM PROVINCIA-  
RVM HEREDE &c. &c.

IN REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA,  
*P R A E S I D E*  
**D N I V S T O H E N N I N G O** Böhmer/  
IVRIUM D. EORUND EQUE PROF. PUBL. EXTRAORD.

d. Octobr. MDCCII.  
IN AUDITORIO MAJORI,  
Publico Eruditorum Examini submittit

*A U C T O R*  
**F R I D E R I C U S G V I L I E L M U S** Herold/  
Hallens. Magdeb.  
SECUNDA EDITIO.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
Litteris JOHANNIS GRUNERI, Acad. Typogr.

D 3  
DISPUTATIO IN RIBICO  
D 3  
**COLLATIONE**  
**PRAESUMPTIO**  
M.

LECTOR E MAGNIFICENTISSIMO  
SACRAMENTO TUTELA AC DOMINA  
**DNFRIIDERICIO**  
WILHABICO

CORONATORES ET ELECTORATARI  
DINISARIGICRITCETRARRAMPYONICI  
RAM HEDDOLDE  
IN REGIA SACRA TRADITIONE

DR. IASOTHRINNUS  
IARINUS HORUNDIUS MONTIUS FUTUR EXTRAD  
IN ADDITIONE MAIOR  
PAPICO GERMELIANI EXCELSIUS DIPLOMATICUS

HIBERGICUS GAVIHEMUS COTTERI  
HIBERGICUS GAVIHEMUS COTTERI  
SCANDIA EDITIO  
SCANDIA EDITIO

---

MAX MEDEMIKETICUS  
LUDV. LOMANUS GERMANI. AEG. T. 1000



DISPUTATIONIS  
DE  
**COLLISIONE PRAESUM-  
TIONVM.**  
C A P . I .  
De  
**SENSV RVBRICAE GENVINO.**



Venadimodum nulla lis vel controuer- *Multum vici-*  
sia, quæ in iudiciis instituitur, sen- *litis lati-*  
tentiae iudicali starim subiicitur, sed *tat in accus-*  
obseruato prius iuris ordine ibidem *rata proba-*  
est procedendnm, *l. prolatam 4. C. de*  
*Edendo;* Ita quilibet sole clarius ani-  
madvertet, magnam esse vilitatem,  
sedulo & probe excutere methodum  
probandi. Quam enim necesse sit, vt bene fundamen-  
tum intentionis probetur, multi grauiissimo damno fue-  
runt experti, quibus non ius, vt ajunt, sæpius tamen pro-  
batio defuit, *l. 30. ff. de Testam. tut.* Hinc eo maiori cura,  
qui aliquando felicem progressum in praxi facere deside-  
rat, illa, quæ ad probationum materiam spectant, sedulo

A 2

euol-

euoluere & manibus terere, ut loquuntur, debet. Huius autem Doctores communiter duas præcipuas constituerunt species; diuidentes eam in *Inartificiale*, quæ per simplices ac naturales modos perficitur, per testes ex gr. instrumenta, confessionem &c. & hinc *directa*, vera & propria dicitur; & *artificiale*, quæ tota in artificiofa inuentione & deductione consistit, fitque in rebus dubiis, per probabilia signa ac argumenta ad instar alicuius syllogismi, vbi ex medio termino aliquid legitime infertur. Donell. de

*Presumtiōnis materia ad Probationem spectat;*

*Dd. vulgare Diuisio presumtiōnum.*

*Probat. c. 5. Struu. Exerc. 28. tb. 3.* & huius etiam loci esse præsumptionis materiam, vnanimiter Dd. statuunt, quippe quæ aliquando vel probationis instar est, vel adminicula probationi inservientia suggestit, vnde & in ff. sub eodem titulo coniunguntur materia *probationis* & *presumtionis*. Quamuis vero si ius nostrum inspicimus, varios præsumptionum gradus ibi deprehendamus, non tamen diuisionem aliquam *narrātō p̄n̄gōv̄* ibi occurtere certum est; Interim quoad rem ipsam diuisionem in legibus latere, sedulo investigatori iurium patebit; Vnde etiam DD. varie illam dispescunt; aliam enim nominant *iuris* & *de iure*, cuius possitissimum *xpir̄p̄ov* in eo consistere volunt, vt probationem contrariam non admittat, aliam vero *iuris*, quam lex pro veritate habet, donec contrarium probetur: aliam denique hominis, siue iudicis, quæ factum antecedens, ex quo iudex præsumptionem capere possit, requirit & probabiliter inde aliquid infert. Sicuti vero ex multis præsumtionibus coniunctis, vel vera siue plena, vel præsumptiva siue semiplena inducitur probatio, & vero contingere s̄p̄e possit, vt plures presumptions concurrant, siue circa idem factum, siue circa personas litigantes, adeoque una præsumptio semper validior & fortior esse posse altera; Ita in-

in earum concursu, quæ reliquis palmae auferant, diligenter dispiciendum est, ut adeo crediderim, non inutiliter posse esse de hac materia disquisitionem. Quæ omnia considerans, animum quoque induxi, ut exercitii Academici gratia dissertationem, de *COLLISIONE PRÆSUMPTIONVM* conscriberem, & ex legum genuinis fundamantis illam eruerem. Idem Thēma quidem iam ante pertractarunt viri alias in iure celeberrimi, vt Menochius de *Præsumptionibus*, Alciatus de *Præsumt.* Pacianus de *Præsumptionibus*. Mascardus & alii, qui tamen, si verum fateri licet, admodum confuse & perfunditorie hanc materiam tradiderunt, magisque inuoluerunt, quam explicuerunt; Hinc nemo nobis vitio verter, si non in omnibus eorum regulis inheremus, sed pro facultate ingenii ab ipsorum castris discedimus & quid in horum regulis falsi vel veritateat, fideliter indicamus.

§. II. E re autem omnino erit, ut circa enodationem vocabulorum, in Rubro dissertationis positorum quadantenus simus solliciti, ut Statum controværse co-rectius formemus, ne Andabatarum more pugnare videamur. Offert vero se primo loco vocabulum *Collisio*, quod ab effectu in iure etiam pro fracto & incuruato sumitur; nam ita Vlpian. in l. 27. §. 3. ff. de *Auro*, argent. mundo leg. dicit: *Cui aurum & argentum factum legatum est, si fraterum & collisum sit, non continetur*, quo in sensu etiam occurrit in l. *labeo* 14. §. 1. ff. de *Verb. sign.* ibi: *veluti scyphi collisi*. Proprie itaque denotat duorum corporum solidiorum adeo grauem concursum, ut necessario vauum alteri locum relinquere debeat. Nos quamvis præsumtiones & iudicia ad corporales res nolitus transferre, metaphorica tamen hac loquendi formula merito vtimur, præsertim

*Transitus ad  
propositum  
thema.*

sum etiam in vita communis hac phrasis vtanatur de iis, quorum animi odiis & discordiis mutuis aguntur. Tunc enim dicere solent: Sie haben sich sehr collidiret. Neque hanc loquendi rationem a Stylo iuridico esse alienam vel inde patet, quod adeo celebres Doctores hac in re nobis praevierint; Instar omnium iam sit Dn. Io. NIC. HERTIVS, famigeratissimus Giessensis Antecessor, qui edisseruit de *Collisione Legum*. Alii idem thema aliis loquendi verbis excusserunt, ut Paulus Voetius, de concursu Statutorum, Christianus Rodenburg, de *Iure*, quod oritur ex statutorum vel consuetudinum discrepantium conflictu; Quo etiam referri meretur Excellent. DNI. THOMASI dissertationem, quam Morum cum iure Scripto contentionem inscribit, & quamvis tantum de comparatione inter leges scriptas & mores fuerit sollicitus, exemplis tamen ostendit, leges moribus cessisse. §. 53. & 54.

§. III. Verum de collisione horum iurium iam parum sumus solliciti: Rubrica enim docet, nos vnicce agere de collisione & conflictu *presumptionum discrepantium*. Hinc, cum vox haec satis ambigua sit, ipsam rem ex genuinis principiis evoluere lubet. Videndum itaque ante omnia, quid vox *presumptionis* proprie denotet: Videlicet aliquid dicitur *præsumi*, quando variis ac dubiis casis vel sententiis concurrunt, & ex ipsis magis probabilem præferimus, ad fidem faciendam. Eatenus enim præsumptionem hic consideramus, quatenus iudici exinde fides de re dubia fieri debet. Quamvis enim præsumptiones conjecturis probabilibus nitantur; ut adeoque inde fides deduci non posse videatur, ostendit tamen Excell. Dn. THOMASIVS *disp. de Fide iuridica* omnem fere fidem iuridicam ultimo se resoluere in probabilitatem, gradibus discrepantem.

*Presumtio  
quid?*

tem. Ita vero communiter, ut iam dictum, præsumtionem considerant, ut si legibus confirmetur, specialiter *in-  
ris*, si vero a iudice absque adminiculo legis id peragatur, hominis eam appellant; Et hæc verisimilitudo oritur ex *Vnde præ-  
sumtio oria-  
tur?*  
factis hominum, prout communiter inter homines fieri solet, quamvis aliquando sed rarius, fallant, vid. Illustr.  
D.N. STRYK. in not. ad Lauterbach. Compend. lib. 22. tit.  
3. voc. ex variis circumstantiis. Vnde etiam præsumtio minuitur vel crescit, quatenus illud, ex quo ducitur, plures vel pauciores admittit exceptiones: exemplo nobis esse poterit præsumtio pro virginitate, pro qua tam diu præsumitur, donec contrarium fuerit probatum, nam licet accidere possit, ut status primæus hic nonnumquam ex accidenti immutetur, factum tamen illud, quoniam non communiter fit, est minus verisimile. Sic in iure feudali præsumtio est pro allodio, quia pleraque bona immobilia iure pleni dominii possidentur, quamvis si territoria Statuum Imperii considerem; magis præsumendum sit, quod sunt feudalia, quia pleraque territoria talia sunt; Idem iudicium esto de aliis exemplis. Ceterum & aliae hujus vocis significaciones sunt, quas sedulo excusit Brissoni de *V. sign. sub voce præsumere.*

§. IV. Hanc præsumtionem ex ejus appellatione posse cognosci, nullum est dubium, verbo tamen illi ita præcise non inhærendum est, cum etiam præsumtiones ex variis aliis significationibus cognosci possint in legibus Romanis. Sic vocabulum *viciatur* si substrata materia id permettat, præsumtionem iuris derotat vid. l. 7. ff. de Administ. Tut. quin etiam vox intelligitur l. 40. ff. de Hered. in sit. l. 3. Cod. cod. quorsum & resero verbum creditur l. 8. ff. de iure Codicill. & quando existimo & estimo ponitur l. 7. de in integr. restit. præsumtionis etiam indicium est; sic etiam

iam quando voce conjecturam facimus, legimus l. vn. ff. si tab. test. nulla extab. & quando legislator arbitratur presumisse intelligitur. l. 7. ff. depositi. & quando aliquid dicitur verisimile, pro illo præsumi debere docet l. 7. de Administr. T. ut esse credendas: dicitur in l. 14. Cod. de Contrah. stip.

*Quid pre-  
funtio iuris  
& de iure.* §. V. Hæc vero est communis DD. cantilena, omnium præsumptionem fortissimam esse iuris & de iure, cui adeo omnes in collisione cedere debeant, vt nec in contrarium villa probatio admittatur vid. Menochius lib. 1. de Pres. qu. 3. n. 17. Pacianus de Probat. l. 1. cap. ii. num. 2. Lauterbach. in Compendio iuris. tit. de Probat. & Praf. vtque sententiam suam confirmant, allegare exempli loco consueverunt, l. 34. Cod. ad L. Iul. de Adulter. quæ de illis, qui prius accusari de Adulterio, propter sanguinis proximitatem autem se excusarunt, postea vero matrimonium contrahant, adeo præsumit adulterium antea ab illis esse commissum, vt veluti in conuictos facinus confessosque procedendum sit, & per consequens probatio in contrarium excludatur. Huc etiam referunt calum ex cap. 30. X. de sponsal., vbi agitur de sponsalibus de futuro, copula carnali subssecuta, confirmatis, vnde oriri ait Pontifex, præsumtum matrimonium, contra præsumptionem tamen huiusmodi non admittendam esse probationem in contrarium; 1-dem inculcatnr in cap. 6. X. de condit. appos. vbi & illa ratio additur, qnod, qui illam, quam sub conditione sibi desponsauerat, carnaliter agnoscit, videatur, seu præsumatur a conditione illa recessisse, vt nec probatio in contrarium admittatur; Aliud exemplum deducunt ex l. 23. Cod. ad S. C. tum Vellei. de muliere intercedente pro alio, & in instrumento publice confecto, & a tribus testibus consignato, proficiente se se aliiquid accepisse, & sic ad intercessionem ve-

nisse,

nisse, vbi volunt legem non solum præsumi, quod in utilitatem propriam intercesserit, sed etiam disponere, ipsam non amplius posse vti SCto Velleian. Sic etiam hoc referunt, *i.* Tutor qui repertorium 7 ff. de Administr. Tut. & imprimis c. afferte mibi X, de præsumt. vbi refertur iudicium Salomonis Regis inter duas feminas litigantes inter se, cuiusnam esset filius viuus?

S. VI. Hæc sunt quæ communiter a DD. pro stabilienda hac sententia in medium producuntur: verum quam grauem errorem hi errauerint, egregie nuper ostendit <sup>Reiachur</sup> <sup>præsumptio in</sup> <sup>rtis & de</sup> Magn. DN. COCCIEUS *dissert. de Probatione directa negati-* *ture.*  
*ue, vbi §. 17. dicit: disputant DD. sed non conuenit inter e-*  
*os, quid nomine præsumptionis juris & de iure veniat; est*  
*enim illud a DD. consitutum, veluti barbarum, certam*  
*significationem non habet. Et REINH. BACHOV. ab ECHT.*  
*v. 2. ad HIER. TREUTLER. p. 2. disp. 4. tb. 10. lit. c. his ver-*  
*bis; & vulgo nomine non satis congruo præsumptio juris*  
*& de iure appellari solet. Verum vtique est, hanc speci-*  
*em præsumptionem proprie non esse, cum hæc circa rem*  
*dubiam versari, factumque nondum certum quodam mo-*  
*do in lucem ponere, & ex circumstantiis verisimilitudinem*  
*colligere debeat; Præsumptio juris & de iure autem, vti no-*  
*minant, ex signis plerumque certis & necessariis oritur, a-*  
*deo ut lex de eiusmodi casu regulariter firmansanciat de-*  
*cisionem; Et eatenq; verum est cum plerumque legis sit*  
*condemnatio, non tam præsumitur, quam ita voluisse le-*  
*gem, intelligitur, Magnif. D.N. COCCIEVS, *diss. disp. §. 14**

Neque vero difficile est, ostendere, vnde ille error com-  
 munis ortus sit; vel enim DD. verbis legum in hæserunt,  
 &, vbi vox præsumptionis occurrit, statim illud de vera in-  
 terpretati sunt præsumptione: vel potius præsumptionem *vio-*  
*lentam, quæ tamen juris est, & probationem in contrarium*

B

ad-

admittit, cum aliis casibus, ubi lex statim condemnat rem, confuderunt. Ad priorem classem refero, c. 30. X. de sponsal. c. 6. de Condit. appos. ad posteriorem l. 7. de Administr. Tutor. quin, quod DD. vnamiter afferunt, saepe adhuc admitti probationem in contrarium in hac presumptione, unde ea presumptione iuris, & non noua species

§. VII. Quamvis vero dixerim, quod aliquando potius vera legis sit dispositio & condemnatio illa. Presumptione, quae Doctoribus iuris & de iure auditur, praesertim cum non admittat probationem in contrarium, quam ne vera quidem probatio excludit. Magnif. DN. COCCUS JUS sapientia dicta differt cap. III. §. 5. & 13. Interim tamen nullo modo negamus, dari violentam iuris presumptionem, quam

tamen a Doctoribus ita nominatam, contra distingui non puto presumptione juris; Hæc enim quamvis proxime accedit veritati, veritatem tamen nondum facit, sed admittit probationem in contrarium, hoc tamen pro manifesto spiritu in iure habens, quod probationes que contra eam fieri debent, debeant esse manifestissimæ & ponderosa. Cuiusmodi exemplum videre est in l. 7. pr. ff. de Administr. Tutor. ubi Tutoris dolus in omissione inventarii presumitur, nisi necessaria & iustissima causa v. gr. morbus fonticus, allegari possit; item in l. 14. C. de Contrah. Stipul in qua disponitur, pro omni instrumento esse presumptionem violentam, & veritatis, & solennitatis, ut non aliae quam manifestissimæ admittit possint Probationes in contrarium, quo etiam refero l. si quod chirographum 24. ff. de Probat. l. non est verisimile, 23. pr. quod metus causa ibi: sed hujusmodi presumptioni debet apertissimas probationes violentie opponere, conf. l. 28. §. 3. ff. de liberat. legat. ibi: presumptione propter naturalem affectum facit, omnia patri videri concessa

*Quid sit violentia presumptione?*

cessa, nisi aliud fecisse testatorum ab heredibus eius approbetur. Huc facit quoque lex 57. in fin. de Iure dot. ibi: præsumptionem ad filii debitum spectare verisimile est, nisi evidenter contrarium approbetur. vt & l. 6. ff. de Condic. caus. data caus. non secuta ibi: nisi forte evidenter probatioibus mulier ostenderit conf. l. 25. ff. de Probat.

§. VIII. Ex quibus ita suppositis iam facilius genui-*Intagatur* num sensum distinctionis inter præsumptionem iuris & ho-verus sensus minis cognoscere possumus. Primo videlicet afferimus divisionis casus illos, vbi lex aliquid absolute in pœnam alterius <sup>Præsumptio-</sup> <sub>num.</sub> definit & determinat, non posse referri ad materiam præsumptionum, quia respectu iudicis in pœnam alterius hoc pro vero & certo supponendum est. Deinde casus illos, vbi lex grauiter aliquid præsumit esse veram & proprie dictam præsumptionem, quamvis violentam & eo maiorem probationem in contrarium desiderare. Et ex hoc præsumptionem juris cognoscere posse arbitror; Videlicet tria pu-*Quenam re-*  
*to hic requiri (1) vt lex aliquid præsumat ex certis con-*  
*jecturis, (2) vt illud quod ex conjecturis illis infert, prot*quirantur**

*ad præsum-*  
*tionem iuris.*

vero interim habeat, & quasi supponat, quemadmodum Philosophi sua *postulata* habent. Vnde & præsumptio dicitur a voce *præ id est ante & sumtio* quasi *ante sumtio*, quia ante legitimas probationes interim aliquid assumitur pro vero MENOCHIUS de *Præsumt.* Lib. 1. qn. 6. n. 4. & eatenus ille, qui pro se habet præsumptionem iuris, dicitur habere fundatam intentionem vid. venerand. meus PARENTS *Obser.* forens. 18. n. 29. (3) Ut tamen lex, quæ onus probandi contrarium in adversarium reiicit, simul disponat, hic admitti debere probationem in contrarium, quæ quatenus ipsa præsumptio legis, vel *gravis* est *vel levius*, requiri

rit vel maiorem vel leviorum Probationem in contrarium  
ABBAS PANORMIT. in c. 4. de Pres. num. 2. vers. quan-  
doque tamen.

*Ex sola legis approbatione statim omnem præsumptionem iuris esse volunt. quando non oritur lex illam approbat; illam vero præsumptionem hominis dicunt, quæ a lege non est specialiter confirmata; quod tamen ubique fere facit Menochius. Omnis certe præsumptio debet esse legibus conformis, alioquin *temeraria* merito dicenda, vid. l. 5, Cod. de Probat. Non itaque maior auctoritas præsumptione accedit ex eo, quod lex etiam illam ex factis probabilibus deducat, & ita saltē iudicem instruant, qua ratiōne aliiquid ex legitimis conjecturis inferre debeat: Nam si vel maxime hoc non esset legibus expressum, tamen conjecturæ tales nihilominus fecissent probationem aliquam. Imo cum is, qui iurisdictioni præest, ad similia procedere debeat, l. 12. de legibus, omnis præsumptio, ex qua aliiquid legitime infertur, esset dicenda juris, quia licet vel maxime non disertis verbis in legibus continoretur, sufficere tamen posset, quod legibus præuentibus ita ad similes casus fieret extensio. Id ipsum bene explicit **I. o. FRANCISCVS ANDREOLY** controu. forens. 104. in fin. inquiens; *Distinguitur: aut lex habet huiusmodi præsumptionem pro vera, adeo ut faciat plenam Probationem, tunc semper transfundit onus probandi in eum, contra quem stat præsumptio aut lex tantum eam habet pro adiuuante veritatem, non profundante, tunc non sufficit ad transferendum onus probandi contrarium, sed solam confirmat probationem probantis minus plene.* Exemplis res fieri clarior; sic mendax in uno, in omnibus præsumitur mendax, communiter hæc præsumptio pro iuris præsumptione tantum assertur;*

fe

sed male : leges etiam hanc præsumptionem ad hoc afferunt, vt hæc præsumptio tanquam adminiculum inservire posse, si quis falsitatem probare velit. Sic & præsumptio, quæ ex vita ante acta inducitur, itidem tantum adiuuat probationem, non vero transfert onus probandi in adversarium. Sic communiter ex l. 31 §. 21 ff. de Ædit. edit. præsumptionem aliquam iuris efformant, hanc scilicet malum præsumi, qui oriundus est ex tali natione, quæ magis infamis est ; Ita enim ICtus cit. l. philosophatur : *presumptum est, quosdam servos bonos esse, quia natione non sunt infamata, quosdam malos videri, quia ex natione sunt, quæ magis infamis* ; Verum meo iudicio absurde inde fieret conclusio, si quis vellet contra aliquem, qui ex natione tali quodammodo infami est, ita inferre : Tu es ex natione infami v. c. tu es Cretensis, ergo mendax præsumeris, ergo debes probare contrarium te esse bonum virum. Imo neque lex hic agit de probatione, sed quid circa emtionem seruorum seruandum sit ostendit ; Ergo hæc præsumptio contra aliquem adduci potest tanquam adminiculum probationis, sed non ut præsumptio juris.

§. X. Posset itaque meo iudicio præsumptio omnis <sup>Diajfo præ-  
ita diudi ut vel simplex sit vel qualificata & determinata. sumptionis in-</sup>  
<sup>Hæc est, quando lex non tantum qui d præsumit, sed ter-  
minat etiam illud interim pro verohabendum esse, donec  
probetur contrarium, & hanc itaque iudex in dubio sequi-  
tur tanquam normam a lege præscriptam, sicut alias pro-  
bationes admittere debet a iure approbatas. Illa vero est  
quando aliquid ex legitimis coniecturis vel a lege vel ab  
homine infertur, sed absque tali determinatione, vt tantum  
adiumentum ei sit, qui probare debet. Vnde liquida da-  
tur inter haec differentia : Illa liberat aliquem a <sup>Differentia  
invenit utramque  
pro que speciem</sup></sup>

probando: *hac* vero eum qui probare debet, adiuuat: *Illa* iudex sequitur in dubio: non vero *hanc*, nisi aliae accesserint coniecturæ, ex vna enim aliqua coniectura, licet in legibus probata nemo potest statim, se probationi sati fecisse, afferere. *Illa* haec tenus probationis instar est, non vero *hec*; Qui *illam* pro se habet, nunquam vel raro ad juramentum præstandum compelli potest, quia lex interim *illam* pro vero habet: Sed *hac* facit aliquando locum iuramento purgatorio. *Illa* magis specialis est, *hec* vero generalis. Fundamentum quoque vtriusque diversum videatur; In eo conueniunt, quod vtraque in verisimilitudine fundetur: verum in præsumtione iuris vel qualificata adest fortior verisimilitudo, quam in simplici, quippe quæ plures admittit exceptions; Ut igitur rem contraham, non aliter præsumtio iuris haberi potest, quam ex legis declaratione, quæ vult onus probandi deuoluendum esse in aduersarium. Ergo vbi hæc declaratio legis probari & ostendi, sive directo sive per indirectum nequit, præsumtio tantum erit simplex.

*Male con-*  
*funditur in-*  
*terpretatio-*  
*sum præsum-*  
*tione.*

§. XI. Sufficere hæc poterunt pro declaracione sensus tituli huius disputationis. Verum tamen ne sic quidem omnes scopuli esse remoti videntur, cum perlustrando DD. genuinum conceptum præsumptionis ita turbant, vt regulas interpretandi, ipsamque interpretationem etiam huc retulerint. Sed antequam ad genuina collisionis fundamenta perueniamus, omnino hic error e medio remouendus, ne in sequentibus nobis fraudi esse possit, quemadmodum Menochius vbique circa hanc materiam lapsus reprehenditur. Origo forsitan huius confusionis exinde deriuanda est, quod genuinus conceptus interpretationis adeo inuoluatur a DD, vt saepe interpretes per regulas suas rem non

non explicit, sed perturbant vid. DN. PRAESES *de interpret. aduersus eum, qui clarius loqui deb.* Sed iam quidem manum de Tabula. Confero me potius ad Menochium qui quidem lib. I. q. 27. *de Pres.* examen instituere vult, *an presumptio debeat dici interpretatio?* Cum autem conuenientias tantum considerauit, de disconuenientiis autem nullam curam impenderit, ingreditur eandem erroneam viam, in qua praecessit ipsi Baldus, Camillus, Gallinus & ceteri ab ipsodict. qu. laudati. Non quidem negari potest, in nonnullis conuenire interpretationem cum præsumptione iuris v. c. (1) quod quemadmodum interpretatio de causa dubio sit sic præsumptio in non deciso locum habeat, (2) quod utraque ex probabilitate deduci debeat & ostendendum, quid aliquis senserit aut fecerit. (3) multum faciat utraque ad rem probandam. Verum ex aliquot tantum conuenientiis non statim *identitas rei* deduci potest, in quo tamen DD. saepius impingunt, ceu peculiari dissertatione V. D. adhuc pluribus declarabo.

§. XII. Alciatus quidem in commentario ad l. 30. ff. *de Verb. Oblig.* non inique sentit esse aliquam differentiam interpretationis a præsumptione statuendam; Cum vero ibi item propterea mouere non voluit, hinc differentias quoque, quæ inter utramque intercedunt, non notauit. Nostrum itaque erit ad uitandos omnes scopulos, eas brevibus suppeditare. Quilibet vero qui modo leui oculo utramque & interpretationem & præsumptionem *qualificatam seu juris asperxit*, diudicabit, in eo præcipuum latere discrimen, quod præsumptiones ex diversa disciplinæ prima regulis debeant peti. Legislatoris enim est. præsumptiones determinare ad eum, quem dixi, modum, quod interpretatio-

*Quatenus  
interpretatio conueniat  
cum presump-  
tione.*

*Differentia  
secunda.*

interpreti minime competit. Hic enim utitur regulis logicis, & mentem legislatoris hisce subsidiis eruere satagit. Vnde quamuis Logica satis subministret, qua ratione animus legislatoris bene si inuestigandus, non potest tamen de præsumptionibus illis, quas lex facit, & determinat, aliter statuere: licet vel maxime ex coniecturis aliis æque probabilitibus quid inferre velit: Statutum enim tamdiu præsumptioni iuris, præsertim *violente* ex legislatoris voluntate, donec contrarium liquidissime fuerit probatum. Inde circa has solius Icti officium versatur, qui leges præsumentes applicat, & pro norma sequitur: cum regulis interpretandi non solus Ictus, sed alius quilibet in quavis disciplina vtatur, v. c. Theologus, Medicus, philosophus. Hi certe præsumptiones iuris male in disciplinis suis applicant, quia non eum in finem a legislatore sunt determinatae, ut instar regularum vniuersalium essent, sed tantum, ut *inßar legis* decisionibus causarum & controversiarum in vita ciuili occurrentium inservirent. Hinc nihil foret absurdius, quam si Theologus vel Philosophus vellet applicare illam regulam. *Quilibet præsumitur bonus*; cum illi contra ex indole corruptæ naturæ contrarium concludere debent, eodem modo Medicus male ageret, si Diætam alicui præscripturus, vellet applicare illam rugulam: *Naturalia inesse præsumuntur*, & sic etiam *sanitas*, adeoque omnis generis cibos & potus ipsi permittere; cum contra præsumere debeat, sanitatem non semper inesse, adeoque securius agat si dehortetur cibos multos. Sic vbi de *vita partus* queritur, Icti quidem est præsumere, partum fuisse viuum, sed non Medici, qui ex naturalibus causis de vita iudicare debet.

§. XIII.

§. XIII. Et quamvis vna alteri supperias ferat, ita, *Differencia*,  
vt quandoque regulæ bonæ interpretationis legislatorem tertiam.  
mouerint ad hanc vel illam præsumptionem ita determi-  
nandam, v. gr. *Nemo presumitur committere absurdum*; ;  
Hanc præsumptionem facile eruere possum, ex canone Lo-  
gico, qui præcipit: *In interpretatione semper eo respicien-*  
*dum, ne inducatur absurdum, vel contrarietas, sed hoc non*  
*est perpetuum*; Cum enim ius nostrum non sit sollicitura  
de casibus rarioribus, sed id potius respiciat, quod ple-  
rumque sit, *L. 3. s. qq. ff. de LL.* hinc certum est, plures pos-  
se dari præsumtiones, quæ vnicē ex legislatoris voluntate,  
remotis longe regulis interpretationis, in ius transferunt.  
Sic lex quemlibet præsumit bonum; ex qua regula inter-  
pretandi vero hæc præsumtio deduci potest? Porro lex  
non præsumit quæ facti sunt, non præsumit mutationem,  
& plura alia, quæ non ex regulis interpretandi, sed ex in-  
terna arte iuris deduci debent. Habent quidem omnes  
præsumtiones suas rationes, ex quibus probabilitatem a-  
liquam deducunt; Sed illæ rationes sunt juris & rationes  
interpretationis non vbiique hic sufficiunt; Vnde facile  
concedo legislatorem posse aliquid præsumere, vbi inter-  
pres debet profiteri, suum officium hic quiescere. Sic  
patre filio pubere simul mortuo, lex præsumit, vel poti-  
us statuit, patrem prius deceſſile *l. 9. §. 4. ff. d. reb. dub.* I-  
dem quoque dicendum de casu, si quis institutus heres &  
fideicommisso grauatus sub conditione *si sine liberis deceſ-*  
*serit*, & vero contingat, heredem vna cum filio naufra-  
gio perire, indistincte præsumitur, ante patrem filium fu-  
isse mortuum, vt fideicommissum habeat effectum *l. 17. §.*  
*7. ff. ad S. C. t. Trebell.* Hic vero merito interpres legi hanc  
determinationem relinquit.

C

§. XIV.

Differentia  
quarta.

§. XIV. Hoc tamen negari non potest, præsumtiones iuris egregia esse *adminicula*, quibus si interpres vitur, probe in applicatione versatur, cum casus non dentur rari, qui ex supposita juris præsumtione interpretationem accipiunt, veluti si scriptum sit, actum quasi aliquid esse, illud interpretandum, peractum esse omnibus solennitatis adhibitis, l. 14. C. de *Contrab.* & *committ. stip.* quia nemo contra leges agere præsumitur vid. §. fin. *Inst. de Fidei* l. 30. ff. *de Verb. Oblig.* l. 34. §. pen. eod. l. 1. *Cod. de Contrab. stipul.* Interim si rem accuratius pensiremus, non tam interpretatur, quin potius, quod ICti est, ius ad factum applicat, ergo præsumtiones firmant & corroborant interpretationem iam antea factam, ut iudex illam eo magis sequi teneatur.

Differentia  
quinta.

§. XV. Huc quoque non est prætermittendum, quod hic notabilem constitutam differentiam præsumptionis effectus: nam legis præsumtio adeo necessitat & adstringit, indicem, ut ab ista recedere non sit integrum, si evidentes non fuerint allatae probationes in contrarium. Interpretatio contra præter probabilitatem aliquam, quod scil. legislator ita voluisse videatur, nihil operatur; Adeoque illam sequi in re dubia non tenetur iudex, cum & ex adverso alia interpretatio æque probabilis adferri possit, adeoque cum determinatio hic deficiat, plurimum hic committi solet iudicis circumspecti arbitrio, & prudentia: quod arbitrium tamen cessat, in præsumtionibus a lege iam ante determinatis. Hinc fluit etiam, quod in re nimis obscura vel nimis clara interpretatio doctrinalis pedem figere necesse habeat, & Principis interpretationi locum relinquere, quæ tunc ipsam legem facit, & probationem in contrarium non admittit: Ast præsumtio

*tio qualificata seu iuris, quamuis haec tenus legem constitutat, ne quidem talis interpretatio authentica dici comode potest, cum probationem in contrarium admittat, & in re dubia, (quia si verba sint clara præsumtio cessat, venerand. Dn. PAREN'S Observ. forens. 5. n. 34.) interim aliquid pro vero supponat.*

§. XVI. His demum non immerito addendum esse arbitror, quod præsumtio *iuris* sit dispositio legis & lex *v*erique nominari possit; Cum autem hujus negotium in eo maxime versetur, ut dirigat actiones hominum & ita primario circa agenda occupata sit, & deinde quoque Iudicem aut ICtum instruat, quomodo prudenter leges seu ius latum ad casus in vita obuenientes applicare possit, illas tanquam leges in applicando sequitur, non longe disputans. Vtrum hæc præsumtio satis congrua sit nec ne? Iudex enim qua talis, dum ius applicat, de iustitia eius non disputat, de hoc quippe non consultus: Ast regulas interpretandi recte in examen reuocat nec tibi hic legem præscribi patitur, quoniam ex regulis rationis dependent. Neque enim legis est interpretatio regulas præscribere, quippe quæ ad intellectus operationem spectant, easdem tamen aliquando ita determinare potest, ut inde fiant præsumtiones *iuris*, sed sic non amplius sunt regulæ interpretandi, sed potius lex & obiectum ICti, non cuivis interpreti proprium; Inde porro & illud fluit, legis esse præsumere; sed interpretatio doctrinalis vim legalem non habet, partim, quia nihil certe ponit, sed in probabilitate mera subsistit, partim quia ab hominibus priuatis, ad quos decisiva potestas non spectat, fluit. Breviter: *lex presuavit: homines priuati interpretantur in qualibet doctrina.*

*Sexta differ-  
entia.*

*Præsumptio.* §. XVII. Ex quo iam illud fluit, præsumptionem  
 splex ma- simplicem, seu non determinatam magis conuenire cum  
 gis conuenit interpretatione, vel potius præsumptionem tanquam effe-  
 cnam inter- etum bona interpretationis considerari posse. Quod si  
 enim voluntatem alienam dubiam ex coniecturis proba-  
 bilibus hoc vel illo modo interpreteris, præsumptio inde  
 nascitur, alterum id etiam voluisse. Et hoc etiam in le-  
 gibus optime obseruatum esse reperio. Sic Imperatores  
 in l. 14. C. de testam. ita dispositionem ultimam defuncti  
 interpretantur, vbi exheredationis & institutionis facta est  
 mentio, vt non codicillus, sed testamentum factum sit.  
 Regula enim interpretandi docet, pro substrata materia  
 esse interpretationem faciendum: Iam autem testamento  
 vnicce proprium est, instituere & exheredare, non autem  
 codicillis convenit. Et ex hac interpretatione iam præ-  
 sumptio nascitur, testatorem etiam non Codicilos, sed  
 testamentum facere voluisse. Sed fallit certe MENOCH.  
 de Arbitr. Indic. quest. cas. 472. & de Praef. lib. 1. qu. 29. n. 4.  
 dum ex hac lege statim præsumptionem iurius seu qualifica-  
 tam efformat, adeoque regulam generalem inde deducit,  
 quod illa præsumptio sit fortior, qua a substantia provenit, illa,  
 qua a solennitate descendit: Neque enim legislatorum in-  
 tentio fuit, hic præsumptionem determinare, sed tantum  
 interpretari, & ad casum prolatum respondere decidendo.  
 Exemplum aliud occurrit in l. si seruus plurimum so. §. vlt. de  
 leg. 1. vbi queritur de casu, si numerus nummorum legatus  
 sit, nec appareat, quales sint legati, tunc ICtus respon-  
 det voluntatem hanc dubiam interpretandam esse ex pro-  
 babilibus coniecturis. Ante omnia, inquit, ipsius patrisfa-  
 mil. consuetudo, deinde regionis, in qua versatus est, exqui-  
 renda est, sed & mens patrisfamilie, & legatarii dignitas  
 vel

*vel Charitas vel necessitudo, item earum que præcedunt vel que sequuntur, summarum scripta sunt spectanda. Inepte itaque MENOCHIUS de pref. lib. 1. quest. 28. inde conficit præsumptiones iuris, cum tantum latus suppeditet admicula interpretandi voluntatem defuncti dubiam. Sic & de multis aliis exemplis, in materia legatorum occurrentibus idem forniandum judicium.*

§. XVIII. Hæc itaque omnia in eum finem adduci fuisse debuerunt, ne in eosdem scopulos incideremus, quos he differentia euitare Menochius non potuit, dum omnia hæc confusione improbanda magis obscuraverit, quam explicauerit. Ut enim cap. vlt. ostendemus, Regula in collisione præsumptionum ab ipso allatæ, pleræque ita sunt comparatae, ut in hæc haec tenus declarata principia impingant, dum quamlibet legis interpretationem vel præsumptionem statim pro præsumptione qualificata adsumit, quod tamen sedulo cauendum ei, qui ius ad factum rite applicare satagit.

§. XIX. Hisce itaque præmissis iam facile patet, quid Collisio præsit Collisio Præsumptionum. Videlicet est concursus præsumptionum sationum plurium discrepantium, in unam eandemque can- quid? sam ita comparatus, ut omnes ad factum oblatum applicari nequeant, sed reliqua fortiori cedere debeant adeoque illud efficiens, ut iudex inquirere debeat, cui onus probandi & aliquando iuramentum suppletorium, vel purgatorium deferre & denique pro quo pronunciare in dubio debeat.

§. XX. Dixi esse concursum præsumptionum. Vnde Explicatur vero hic concursus oriatur, cap. sequente explicabo. Ad definitio. didi plures præsumptiones, & indistincte locutus sum; Primo quidem præsumptiones qualificatae spectant, & proinde de illis cap. seq. primo loco agendum erit. Sed

## 22 CAP. I. DE SENSV RVBR. GENVINO.

etiam alia præsumtiones *simplices* sæpe concurrere possunt, præsertim si etiam lex harum mentionem faciat, adeoque etiam de illis regulas quasdam suppeditabo. Dixi porro *in unum cunctemque casum*; Concurrunt enim plures præsumtiones vel circa unam personam, v. c. quod Titius non præsumatur delictum commissæ, & tamen præsumatur, quia est talis persona zu der man sich dergleichen Missenthal versehen mag/ vel circa actorem & Reum, v. c. quod pro Reo præsumatur, quia possidet, pro actore vero, quia prædium eiusdem liberum esse præsumitur.

*Vtilitas* §. XXI. Simul vero in definitione adieci *effectum triplex huius collisionis*, ex quo de utilitate ingenti hujus doctrinæ *jus doctrinæ* constare potest. Prima ergo utilitas eius in eo consistit, vt iudex scire possit, *cui onus probandi sit deferendum*. Si enim pro utroque est præsumtio, incommodum foret, utrique onus probandi deferre, hinc cum semper in concursu fortius vincere debeat, vid. *venerand. DN. PARENTS in Observ. practic. p. 124.* ita quoque, pro quo fortior est præsumtio, liberatur ab onere probandi, is vero, pro quo debilior, ad hoc onus adstringendus est. Altera utilitas in eo consistit, pro quo iudex *in dubio*, h. e. si alter non probauerit contrarium, pronunciare debeat? Nam si pro utroque est præsumtio *quakificata*, absurdum foret pro utroque pronunciare: Ergo magis pro eo, qui fortiori nititur præsumtione, pronunciare debet. Et denique si præsumtiones *simplices* concurrant, *tertia* utilitas huius doctrinæ in eo consistit, vt iudex inde arbitrii possit, cui juramentum suppleriorum potius, an vero purgatorium deferre debeat. Et denique in iudiciis *mixtis*, vbi uterque probare potest, scire expedit, pro quo potius pronunciare debeat; vt iam alias utilitates breuitatis studio non attingam.

CAP.

CAP. II.

De

GENVINIS FVNDAMENTIS IN COLLISIONE  
PRAESVMTIONVM OBSERVANDIS.

§. I.

**H**Aud raro collisionem Præsumptionum posse oriri *Collisione omniem* dictum est in *Cap. anteced.*, vnde vero origi-<sup>(1) ex gene-</sup>*nis oritur*  
*nem suam ducat*, de eo iam erit inquirendum. *ralitate.*  
Aditum ad illam forsan nobis suppeditabit illa meditatio:  
Quod nulla in omnibus disciplinis detur absoluta perfe-  
ctio; & hinc quoque impossibile sit, vt leges de omnibus  
omnino casibus possint dari; *l. 3. 4. 8. ff. de LL.* sed conten-  
tus debeat esse earum indagator, si modo de iis, quæ vt  
plurimum fiunt, iustain inveniat decisionem; *l. s. ff. eod.*  
Ex quo porro sequitur, vt, Regula nihilominus firma ma-  
nente, læpius admitti debeant exceptions, propter gene-  
ralitatem Legum, quas penitus considerare prudentissi-  
mum a iuris autoribus factum dicitur in *l. 3. ff. si pars be-*  
*red. pet.* Procedo autem ab hoc simili ad scopum propo-  
situm, monstraturus, quemadmodum leges suas habent  
exceptions & limitationes, ita ex iisdem rationibus &  
præsumptiones generales admittere præsumptiones contra-  
rias in casibus specialioribus, qui sub generali præsumptio-  
ne comprehendi non potuerunt. Prioris exemplum ex-  
hibet nobis lex illa generalis, quæ in omnibus ultimis Vo-  
luntatibus quinque ad minimum testes requirit; *Quod pl.*  
*tamen speciali illo casu aliter dispositum inuenimus*, vt  
quando testator fidei heredis sui committit, vt vel here-  
ditatem vel aliud quid ex illa restituat, id valere debeat,  
etiam si neque ex scriptura, neque ex numero quinque te-  
stium

stium id possit manifestari. §. fin. *Inß. de Fideic. hered.* l. vte.  
*C. eod.* Posterioris exemplum erit in præsumtione illa generali, quæ errorem prius quam donationem præsumit; quam tamen admittit in speciali casu l. *Procula* 20. ff. *de Probatonibus*, vbi fideicommissaria non petit fideicommissum a fratre, cum tamen ex aliis causis & rationibus ipsi soluisset, vbi præsumitur remissio fideicommissi, quod ad alios quoque collaterales extendit *BARBOSA* ad l. 34. num. 44. ff. *salut. matrim.* *RIMINALD*, l. 5. *Conf.* 493, n. 47. *Conf.* DN. *HARPRECHT*. P. 2. *tract. academ.* 9. *de tacito pacto fideis. remiss. ex diuis. bonor. præsumto.* Similes casus recenset B. DN. *BRVNNEMANN* ad dictam l. 26. Vbi nempe Pater mutuo dederat filiæ, & longum tempus intercesserat, filiaque postea patri mutuo dederat aliam summam, pater vero in posterioris obligationis instrumento nihil de debito dixerat, seu autem arcte obligauerat ad restitutionem. Sic etiam in dubio generaliter mutatio non præsumitur, l. 22. ff. *de Probat.* l. 32. pr. ff. *de Dowat. inter Vir & Vx.* ex variis tamen circumstantiis contrarium eliditur, si enim testamentum rescissum vel concessum reperiatur, mutatio præsumitur, *STRVV. in Iurisprudentia Lib.* 3. tit. 20. §. 4. Plures casus legantur apud *ALCIATVM de Presumt.* Part. 3. Reg. 2. praf. 16. *HARPRECHT. de tacito pacto fideic. ex diuis. bon. praf.* §. 7. n. 4.

*Colliso* (2.). §. II. Quemadmodum vero qui ICTUM agere gestit oritur ex non scire tantum verba legis tenerur, sed rationem quo rationum que illarum indagare l. 17. ff. *de LL.* Ita quoque in indagandis rationibus præsumtionum deprehender, diuersos ponderibus esse præsumtionum gradus, imbecilliorum aliam, aliam validiorem, ab rationum, quibus innixa sunt præsumtiones, diuersa momenta. Ex his nunc necessario euenit

Colli-

Collisio; quia varii dantur rationum gradus & varia pondera earundem. Sic quædam leges respiciunt interesse publicum, quædam priuatum; Illud vero huic semper esse præferendum, vel hoc exemplo potest probari; Quod filius Patrem proditorem patriæ impune occidere poslit, ut hoc casu quasi suspendatur respectus & honor, qui Parentibus debetur, v. l. 39. ff. de Religioſ. & ſumpt. funer. Sic alia lex eſt: Nemo eſt laedendus; Cum vero Reipublicæ interſit, ut abbrevientur lites, nonnunquam conniuendum eſt, quando alter alterum in contrahendo circumuenit l. 16. ff. de Minor. ibique BRVNNEM. L. 2. Cod. de Refind. E. & V. Idem iudicium eſt de præſumptionib; quæ iisdem nituntur fundamentis, & omnes ex probabilitate aliqua rationis eruuntur. Cum autem probabilitatis varii dentur gradus, una veritatem magis attingit, altera ab illa eſt remotior & hinc eſt quod collidant inter ſe. Videlicet variis ſunt probabilitatis potiſſimum tres: poſſunt conſtitui gradus, quædam enim præſumptions rariflame fallunt, & vix u- gradus Pro- nam aut alteram exceptionem admittunt; qualis eſt præ- babilitate. ſumtio pro Testamento, quod non mutatum creditur, excepto illo caſu, ſi cancellatum penes teſtatorem reperiatur. Quædam vero eiusdem ſunt naturæ, ut raro qui- dem fallant, exceptiones tamen non paucas naturaliter contingentes admittant, qualis eſt præſumtio bonitatis. Quædam demum adeo ſaþe fallunt & multas habent excep- tionēs, ita ut caſus exceptionum prope accedant ad caſus regulæ, ab his tamen aliquo modo ſuperentur, cuiusmodi ſunt, quas Iudex ex circumſtantiis variis plerumque facit, de quibus omnibus, quantum poſſint facere fidem, videatur Excell. DN. THOMASIVS Difſ. de fide iurid. cap. 1. §. 53. 54. 55. vbi hoc tres gradus egregie pro more ſuo per-va-

## 26 CAP. II. DE GENVINIS FUNDAMENTIS

ria illustrat exempla.

*Collisione ori-* §. III. Et demum Collisionem quoque operatur cir-  
*tur ex cir-* cumstantiarum consideratio, quæ cum dentur infinitæ,  
*cumstanti-* non minores quoque præsumptionum modi sunt credendi,  
*rum varie-* utpote quæ ob circumstantiam minimam totam cau-  
*tate.* sam possunt variare. Hinc potest euenire, ut cum bona  
 pro me militet præsumtio, contra cum de quadam forte  
 circumstantia mihi non bene prospexerim, pessima in me  
 detorqueatur. Sic nunquam præsumitur quis occisor.

Caii, quia omnis præsumtio est delicti exclusiva, si vero  
 cum gladio in loco delicti fuerit visus, si constet de mi-  
 nis, item si infugam se coniecerit, si sit persona suspecta,  
 de qua tale delictum præsumi potest, tunc omnino grau-  
 tur præsumptione contraria & bona, quam prius pro se  
 habuit, opinio euanevit. vid. art. 25. 26. 33. *Constit. Crim.*

*Carol.* Huiusque farinæ etiam est præsumtio bonitatis,  
 quæ regulariter adulterium inter cognatos non credit; si  
 tamen postea matrimonium contrahant, ex hoc facto al-  
 liam decisionem inducit. Fluit quidem hæc Conclusio  
 ex priori causa in §. anteced. illustrata: illa tamen magis re-  
 spicit præsumptiones qualificatas, hæc vero specialiores sim-  
 plices.

*Regula ge-* §. IV. Genuinis causis, ex quibus collisione possit ori-  
*neralis in-* ri, iam perlustratis, ad Regulas nunc erit manus admo-  
*conflictu-* uenda, quæ nos instruere debent, quæ nam sit illa, cui  
*præsumtio-* in conflictu isto palma sit relinqua. Menochius cum  
*num obser-* hac de re est sollicitus, innumeris fere conglomerat, quæ  
*vanda.* tamen vti Vigelius dicit, obscuritatis plus quam veritatis  
 habent; hinc nos paucioribus contenti, exemplis, quæ  
 eo faciunt, rem demonstrare annitemur. Si itaque Colli-  
 sio hæc contingit ratione legum & utrinque legi satisfieri  
 neque-

nequeat, sequens obtineri solet Regula: *Imbecillior lex cedere debet fortiori.* Ad investigandas huius rei rationes admodum solliciti esse non adeo debemus, nam si hoc non esset, quid aliud inde fieret, quam ut innumeratas iure contradictiones statuere deberemus & antinomiarum accrus; quod, quantum fieri potest, admittere non debemus. Accedit, quod plurimæ exceptiones in iure dentur, quæ cum nihil sint aliud, quam ratio fortior, adeoque in Regula non contineantur, hæc omnino a Regula sunt separandæ; Imo illud quoque inde eveniret, quod multæ res se nobis exhiberem quæ euentu plane destituerentur, si non collisionis ratio esset habenda. Sic si propter tutelam corporis sui nemini facienda esset iniuria / .  
 §. 27. de Vi & Vi armat. non posset salua subsistere mutua inter homines cognatio / . 3. de I. & I. Si collisionem non admitteremus, non constaret, qua ratione minor possit vti suo priuilegio & femina SCto Vellei. si femina pro minore intercessisset, quod quatenus procedat Illustris DN. STRYK. *diss. de Iure Priuileg. contra Privilegiat.* abunde declarauit.

S. V. Hæc Regula, vt dixi, in concursu legum & *Applicatio Priuilegorum* procedit; quænam vero alia in præsumti-  
 onibus potest adhiberi? Certe eadem, quæ in legibus *Regule Generali ad militat ratio*, etiam in hac materia est admittenda; Si e-  
 nim reiceremus eam, oriaretur inde magna contradic-  
 tio; Imo nullæ essent exceptions admittendæ, quas quotidie  
 tamen admitti constat; Præterea si vbique vniuersale fun-  
 damentum vellemus ponere, incertitudinis caligo se no-  
 bis offerret; & vt hoc adiicere milii licet, res pleræque  
 euentibus essent cariturae. Neque vero exempla, quod  
 validior præsumtio debiliorem vincat admodum sunt ra-  
 riora,

28 CAP. II. DE GENVINIS FUNDAMENTIS

riora, sed passim in jure occurunt. Liceat saltim hic speciminis loco afferre exemplum de servitute itineris, si enim saepius quis per alterius fundum juris seruitutis transierit, alter vero hoc ita per aliquod temporis spatium passus fuerit, tandem vero Domino contradixerit eunti, hic si res ad item deducitur, ex quasi possessione oritur pro illo presumtio quædam. Vnde accedit, ut duplex hic concurrat presumtio, altera pro possessore, altera pro libertate, dum autem haec fortior, nobilior & præstantior est, hinc majorem facit fidem, quam quæ in mutatione prioris status fundamentum querit, ceu pluribus infra ostendendum.

Vnde Regula  
la Specia-  
les in collisi-  
one sint pe-  
renda.

§. VI. Cauendum tamen hic omnino, ne incertis vagemur iurum fundamentis more Menochiano, qui absque sufficienti ratione saepè ingeminat illud: *bac presumtio fortior est, ergo illi standum.* Inde enim factum, ut saepius debilem pro fortiori, fortiore pro debili habuerit; Neque vero difficile est indagare causam erroris Menochii, cum ipsa res satis doceat, ipsum non fontem sed riulos tantum maxime alienos delibasse. Omnis itaque rei huius neruus consistit in eo, ut videamus, vnde possit cognosci, quæ sit fortior, quæ debilior: Verum hujus rei *negatipov* meo quidem iudicio in eo ponendum est, ut respiciamus scilicet ipsas causas, vnde oriatur collisione, ex quibus enim oritur Collisione, ex iisdem etiam facile cognoscitur, quæ sit fortior. Causæ enim rerum ostendunt diversos effectus, & cum omnia determinanda sint a fine, ob quem fiunt arg. l. 16. §. 2. ff. de Pœnis, ideo validum ex hoc ducitur argumentum. Qui itaque ad veram cuiuscunque rei originem peruenit magnum fundamentum habet, quod ad res dubias discutiendas ipsi inservire potest.

§. VII.

§. VII. Primaria autem causa ex illo sumenda; quod Prima Reges loquantur de iis, quæ ut plurimum fiant, ex quo gula: præstatim sequitur pluriimas esse generales. Cum vero ita presumtio generalis cœcessario dentur quoque exceptiones, quæ tantum de singularibus casibus disponunt, hinc quoque leges plures specialiores subnatae sunt, ex quibus lex generalis limitanda, & illis omnino cedere debet: Ex his ergo suppositis firma potest duci Regula: GENERALIS PRAESVMTIO IVRIS CEDERE DEBET SPECIALIORI IVRIS. Ratio eius ex dictis appareat, quia specialior cum sit exceptio & limitatio, merito quoque illi in concursu præ generaliori standum. Inter illas autem præsumtiones Iuris generales sequentes referuntur: (1.) Quæ facti sunt, non presumuntur *l. 12. ff. de Postlim. reuersi. l. 19. Cod. de Testam.* Recensetur generalis presumptiones. vide MASCARD. *concl. 732.* & MENOCH. *Lib. 6. p. 14.* (2.) Quemlibet præsumi bonum, quod deducunt ex cap. *vlt. de Presumt. l. 51. ff. pro Socio, l. quoties. 18 §. 1. ff. de prob. & pref. MASCARD. Conclus. 222.* ALCIAT. reg. 3. pref. 2. MENOCH. l. 5. pref. 1. FARINAC. de Indiciis & tortura lib. 1. tit. 5. qu. 49. Idem (3.) Naturalia inesse præsumi vid. SICHARD. in l. sive possidetis 16. n. 12. & seqq. Cod. de Probat. (4.) Mutationes non præsumi MENOCH. Lib. 6. pref. 25. n. 3. (5.) Malum semel, semper præsumi talem ALCIAT. reg. 2. pref. 7. MENOCH. lib. 5. pref. 32. Dn. HORN. Speciali Diff. de semel malo.

§. VIII. Has regulas singulatim iam perlustrare ope. Prima præ rex pretium esse reor. Prima fuit: *Quæ facti sunt, non presumuntur,* cum ergo donatio in facto consistat merito non præsumitur: Hoc vero tantum ita ut plurimum obseruantur, aliquando enim in speciali casu contrarium præsumendum. Sic Pater ex paterno affectu, vel mater & auia

## 30 CAP. II. DE GENVINIS FVNDAMENTIS

ex dictate naturali, liberis aliquid subministrando, id donasse presumuntur. *l. Nescennius Apollinaris 34. ff. & l. si paterno affectu 15. C. de Negot. gest. GABRIEL lib. i de presumt. conclusi. n. 33.* quo etiam pertinet, si quis sciens soluerit indebitum, id enim donasse presumitur *l. 35. de R. I. l. 1. §. 1. l. 24. l. 26. §. 3. l. 62. de condic. indeb. l. 9. C. eod. Menoch. lib. 3. pr. 31. in. pr. num. 6.* Solutio itidem facti est, hinc non presumitur regulariter: presumitur tamen si chirographum fuit redditum *l. 14. & 15. Cod. de solut.* Eodem modo quando creditor distulit multos annos petere creditum, solutio presumenda, qui enim tempore liberatur, similis est ei, qui satisfecit *l. 1. pupillus 45. ff. de Administr. tut.* Sic porro hinc sequitur, debitum, quia facti est, non presumi: varias tamen iterum admitit contrarias presumptions, nam aliter presumendum erit, si quis longo tempore usurpas annales presulisset *l. 6. §. 2. de usur. l. rogasti §. 1. ff. de Rebus Credit. l. soluere 7. Cod. de Nouat.* vid. porro ZOES. ad tit. de usur. n. 36. MEV. p. 2. dec. 241. & dec. 318. dec. 302. idem p. 3. dec. 229. n. 22. Et sufficit aliquando Quinquennium arg. *l. 1. §. 13. ff. de separat.* aliquando vero breuius spatium sufficere potest, pro ratione materiae & aliarum circumstantiarum, qualis species reperitur in *l. 1. Cod. de Fideicomm.* vbi per triennium facta solutio & praestatio alimentorum inducit presumptionem pro obligatione. Hinc porro infertur, si renuntiatio SCti Vellei. est facti, vti est, non presumitur, si vero Mulier perfectae aetatis post biennale tempus pro eadem causa fecerit cautionem, presumitur renuntiatio, & sic sibi debet imputare, quod illud commiserit, quod sapientia poterat cogitare *l. 22. Cod. ad SCtum Vell. & MEV. part. 6. dec. 299. n. 3.* Et quamvis factum non presumatur, ideoque nec recognitio Instrumentorum, in contumaciam tamen si pars

**G** pars in termino non compareat &c. Recognitio instru-  
mentorū facta præsumitur vid. Illustris Dn. WILDVO-  
GEL, patruus meus omni honoris cultu deuenerandus  
*Diss. de Document. recognitione cap. 9. §. 3.* Denique aditio-  
nem hereditatis non posse præsumi ex eodem fundamen-  
to statuit Menoch. *lib. 4. pref. 99. n. 2. 3.* Illum tamen omni-  
no pro herede esse habendum, qui defuncti bonis insistit,  
demonstrat idem MENOCH. *lib. 4. pref. 100. 101.* vid. GA-  
BRIEL. *l. 1. de pref. concl. 1. n. 43.* adeoque hic aditio aliquan-  
do præsumitur.

**S. IX.** Quod ad alteram præsumptionem attinet, *Alterapra-*  
quod quilibet præsumatur bonis, est illa admodum genera-  
lis & multas inde solent deriuare Dd. conclusiones. *vid. generalis:qui-*  
*Illustr. DN. STRYK. Diss. de Pref. pro Magistr. c. 1. §. 10.* Si libet præsu-  
tamen considerari: priorem, quæ nulla facta præsumit, *mitur bo-*  
tarere forte hac possemus, cum excludat delicta, quæ tan-  
quam facta nunquam sunt præsumenda. *Quamvis vero*  
conclusio sit saltim ex priori deducta & tamen satis gene-  
ralis, nostrum erit, inquirere hic in illam, quatenus aliis  
specialioribus locum relinquere necessum habeat. Ori-  
tūr ex hac conclusio illa: Pro Magistratu, quia vir bonus  
est, & iureiurando se adstrinxit, optime debet præsumi.  
Si tamen euoluimus *l. 46. ff. de Contrab. emt. l. 2. Cod. de Con-*  
*tract. Indic.* notabilem contrariam prauritatis & concus-  
sionis præsumptionem videmus, quæ priorem generalem a-  
deo elidit, ut Præses Prouinciae eo tempore, quo Magi-  
stratum gerit, nullam emtionem mobilium aut immobi-  
lium possit celebrare, nec matrimonium contrahere, de  
quo fusi legi meretur Excell. Dn. THOMAS. *Diss. de Pref.*  
*bonis.* Sic pariter hodie adhuc extra acta judici non cre-  
ditur, imo non amplius bene præsumitur pro Magistratu,  
si se-

si sequestrationem velit suscipere. vid. Illustr. Dn. STRYK. dict. *Diss. de Præf. pro Magistr. cap. 3. §. 10.* vel si semel grauauerit, tunc enim semper in eadem causa grauans intelligitur cod. §. loc. 12. Sic etiam male audiunt in iure nostro auia & matres, ad secunda vota transeuntes, adeo ut propter præsumtiones contra eas lex ipsiis adiuat tutelam aut. Matri & Auia C. quando mul. tut. off. & educationem ipsiis ægre amplius committi patiatur, quia non solum res filiorum sed & vitam vitricis addicere mulieres præsumuntur l. 1. C. ubi pup. educari deb. Quid? certum est, quod nemo præsumatur in agone constitutus mendacium dicere, quia nemo præsumitur salutis suæ immemor: & tamen matri afferenti in agone filium suum esse ex coitu damnato progenitum non creditur in præiudicium filii l. 29. §. 1. ff. de Probat. Summa enim præsumtio pro legitimitate, quæ fundatur in l. 6. ff. de bis qui sui vel alieniur. sunt, elidit præsumptionem priorem. Vnde etiam Dd. afferere solent non omnem præsumi mori Iohannem Euangelistam. Menoch. de offic. iud. lib. 2. cap. 89. Plura exempla adhuc possent afferri, si ratio instituti id permetteret, cum autem alia adhuc præsumtiones examinandæ sint, hæc sufficere possunt.

*Tertia ge-* §. X. Confero itaque me ad tertiam, quæ sub gene  
neralibus præsumtionibus comprehenditur. Videlicet: Na  
sumto: Na-  
turalia inesse præsumuntur. Sed etiam hæc Regula est con  
turalia in  
clusio ex præsumtione generali prima, quia contrarium  
esse presu  
muntur. in facto consistit, adeoque non potest præsumi. Naturali  
um autem nomine illa veniunt, quæ tam natura in na  
turalibus quam lex in actibus hominum desiderare solet,  
adeoque ordinarie rei inesse solent. Prioris exemplum  
occurrit in innata pietate parentum erga liberos, quæ  
ad eo

adeo est naturalis, vt exinde fortis præsumtio fluat, patrem optimum capere consilium pro sobole l. 22. §. 4. ff. ad L. Iul. de Adult. sed tamen & hæc præsumtio quandoque eliditur; nam si agatur de exheredatione & exclusione liberorum a successione, aut pater ad secundas nuptias transeat, præsumtio pro Patre hic pedem figit, imo potius præsumitur, maligne circa sanguinem suum inferre iudicium, nouercalibusque delenimenta instigationibusque corrupti l. 4. ff. de Inoff. Test. Inde originem quoque duxisse arbitror, vt pro filii obseruancia & obedientia hoc casu præsumatur, adeoque heres causam exheredationis adjectam probare teneatur, eam scilicet esse veram. Nou. 115. Sic quælibet præsumitur virgo; si vero existat casus, vt nudus cum nuda deprehendatur, inde eliditur illa naturalis præsumtio. cap. literis X. de præsumt. In contractibus omnia præmeditato & deliberato animo sunt peragenda, ideoque sequitur, vt omnis excludatur præsumtio erroris: l. 25. ff. de Probat. vnde in allegatione solutionis indebiti a muliere vel rustico facta error præsumitur. MENOCH. l. 2. pr. 19. n. 12. Quod de errore disposuit l. all. 25. idem quoque de mezu iuris esse debere nec eum vñquam præsumi vult l. 2. & l. 9. C. quod metus causa quia contra libertem consensus est, imo etiam in facto consistit. Sed quando contrahere vult Medicus cum ægrototo, semper ex metu consentisse præsumitur ægrotus, dum forsan iuste veretur, ne, si non consentiat Medicus, debitam operam non impendat. l. 9. Cod. de Medic. & Profess. vid. Illustr. DN. STRYK, in not. ad Lauterb. de Patris, verb. pro salute

§. XI. Præsumtio quarta generalis eo tendit, VT Quartage-  
MVTATIO NON PRAESVMATVR, huiusque pro-  
prium fundamentum querunt Dd. in l. 22. ff. de Probat. l. 32. sumtio, quod  
pr. de mutatione non

## 34 CAP. II. DE GENVINIS FUNDAMENTIS

presuma-  
tur.

*pr. de Donat. inter. V. & Vxor. l. 5. §. 1. ff. qui satisdare cog. l. 16.  
Cod. de Probat.* sed si rem penitus considero, est hæc quoque conclusio ex prima generali præsumtione, quia omnis mutatio factum aliquod supponit, quod non præsumitur. Interim tamen ex hac tanquam generaliori Regula plures eruuntur conclusiones. Notabilis earum est, quod semper præsumatur domicilium semel constitutum perpetuum; hæc tamen opinio plures patitur limitationes; sic enim, præsumunt iura variasse aliquem, si quis diu & assidue habitauerit in loco alio, ibique versatus fuerit. *l. 2. Cod. vbi Senat. vid. MENOCH. de arbitr. iudic. quest. vbi. 2. cent. 1. c. 86. n. 11. &c.* Sic mutatio domicilii præsumitur porro, si quis maiorem partem bonorum habeat in illo loco, vbi per aliquod tempus vixit. *l. 2. Cod. vbi pet. Tutor. & Cur.* Ibi certe concurrunt generalis & specialis præsumtio, sed hæc, tanquam fortior, vincit. Ex eodem quoque fundamento fluit, quod si inter conductorem & locatorem conuenit, ne sub poena certa conductor de fundo repelleretur, vbi mutatio huius pacti non præsumitur; Sin vero conductor prædii biennii continui pensionem non soluerit, hanc IC-tus Paulus in *l. quaro 54. §. 1. ff. Locat.* inde eruit præsumtionem, quod scil. verosimile sit, conuenisse partes, de expellendo altero absque omni metu, si non paruerit stipulationi. Huc etiam vulgo refertur a Dd. alias calus, vbi præsumtio pro immutabilitate denuo eliditur in *l. 8. Cod. de Revoc. donat.* Videlicet si Patronus filios non habens bona omnia vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, postea vero suscepit liberos, tunc leges præsumunt, ob superuenientiam liberorum ita ab initio donantis voluntatem esse restrictam, ut quicquid donatum est, reuocari possit. vid. *TIRAQV. de revoc. donat.* Sed si verum

verum dissimilare nolo, hic non talis præsumtio, qualem hic, supponimus, adeat, sed ipsa legis dispositio. Simili modo pro Testamento firmissimæ est præsumtio, illud immutatum haud esse, sin autem apud testatorem ipsum post eiusdem mortem absque sigillis reperiatur, aut insci- sum, consulo vltimam voluntatem mutasse testator præsumtus. vid. STRVV. *Iurisprud. for. Lib. 2. tit. 20. §. 4.*

*Nous præsumtio generalis, qui semel malus semper præsumitur talis.*  
 §. XII. Ex prædicta Regula iam noua præducitur, quæ in iure Pontificio approbata est. *QVI SEMEL EST MALVS SEMPER PRÆSVMITVR TALIS IN EODEM GENERE DELICTI, cap. 8. de Reg. Iur. in 6.* Nam sicuti quilibet actus continuatus vbiique præsumtur, ita & qui in malitia semel deprehensus fuit, animum mutasse non videtur. Hoc tamen de hoc axiome singulariter est notandum, quod non procedat, nisi de eadem specie mala, seu de pari delicto quæstio sit. Ita qui rixulos fuit & confuevit rixas excitare, contra hunc præsumtio est, eum autorem rixæ in homicidio commisso fuisse, sive ipse occisus sit, siue alium interficerit, *MASCARD. de Prob. vol. 1. conclus. 72. n. 14. & conclus. 18. n. 23. segg.* Solent alias etiam idem argumentum applicare, si de simili delicto queratur, aut *maiori*, aut *minori*, de quibus argumentis euolute notas MÜLLERI ad STRVV. lib. 22. tit. 3. §. 18. & in specie ex hoc arguento DD. inferunt, Magia facinus execrandum, scelerata nefanda quævis, ceu vmbra corpus subsequi, adeo ut Magia indicium homicidii, adulterii, proditonis, Sodomia, Concubitus cum Diabolo præ se ferre regulariter soleat. *SPEIDEL. Notab. Iur. verb. Hexen. CRVSIVS de indiciis part. 2. c. 32. n. 70.* Huiusmodi vero mala præsumtio quando collidatur cum contraria, ynica fere linea nos generaliter docet *Constit.*

## 36 CAP. II. DE GENVINIS FUNDAMENTIS

*Crim. Caroli V.* dicens: Das der Inquisit müsse eine solche Person seyn/ zu der man sich könne der Missethat versehen / hoc enim casu præsumitur malus. Quid autem si quis e. gr. Magistratu nunquam functus, vel alio officio publico, antea vero forte aliquid abstulerit, an in hunc cadere possit suspicio, quod in *I. Iul. rep. cund.* peccauerit? Certe quoniam hic postea in tanta dignitate constitutus, & ita persona eius a Principe approbata, in contrarium certe bona præsumtio pro ipso capienda. Sic qui semel hostis fuit, semper præsumitur talis, nisi reconciliatio interuenerit, tunc remissa hostilitas censetur. §. ii. *I. de excus.* *Tut.* quamvis alias regula prudentia sit, cauendum esse ab inimico reconciliato. Excell. Dn. Jo. SAM. STRYK. in *not. ad cit. §. verb.* nec reconciliatio. Sed tempora quoque distinguenda esse, si procedere debeat hæc præsumtio, monet Menochius & inde recte infert. Alciatus, quodsi Notarius damnatus sit propter instrumentum falso confessum, præterita eius instrumenta falsa non præsumi debent. *de Presumt. reg. 3. præf. 33.*

§. XIII. Regulæ iam traditæ vltra qualificatam juris præsumptionem non debent extendi, nam procedunt tantum, ut hactenus per exempla declaratum, in probabilitate summa, quæ scilicet proxime accedit veritati; Quod si vero de simplici nunc quæstio formetur, cum gradu a priori differat, alia hic ponenda erit regula, & inuerso nunc ordine dicendum: *PRAESUMPTIO IVRIS GENERALIS NON SEMPER CEDIT SPECIALI SIMPLICI.* Nam hoc generale est; Regule generali tamdiu standum esse, donec probetur contrarium: at cum præsumptiones simplices non probent, sed tantum suspicionem quandam inducant, non posset vinci præsumtio qualificata generalis a

*Presumtio  
Iuris gene-  
ralis non ce-  
dit presum-  
ptioni simpli-  
ci.*

simplici specialiori. Sed res vltiori explicatione indigere videtur. Hactenus dictum est facta non præsumi, donec alter aliud probauerit: Licet itaque quis per quasdam præsumptiones ostenderit, Caium debere centum, non autem eiusdem liquidas attulerit probationes, ex eo non potest alter condemnari ad debitum soluendum, multo minus ideo onus probandi contrarium ei imponi, quippe qui effectus præsumptioni iuris vnicæ triburus est, *vt c. l. o. stensum.* Hoc tamen certum, si præsumptiones *simplices* in contrarium tanti roboris sunt, *vt semiplena* inde possit deduci probatio posse tunc per iurumentum supplerium hanc semiplenam probationem suppleri, *vt perfecta* inde probatio oriatur, prout iudicarunt Dn. ICtij Rostoch. anno 1700 M. Aug. in causa vener. Dn. PARENTIS contra Dn. a SCH. Imo si præsumptiones non sufficiunt ad semiplenam probationem inducendam, interim tamen reum nimis grauant, tunc aliquando ex facti circumstantiis arbitrabitur index, annon reo imponi possit iuramentum purgatorium. Idem dicendum erit de illa generali præsumptione, *quod naturalia inesse præsumantur.* Quid vero si quis per præsumptiones *simplices* ostendere conetur euictiōnem esse remissam per pactum, sed non probauerit, merito alter absoluendus a probationis necessitate: semper enim militat præsumptio pro eo, quod euictio non sit remissa. Hic tamen itidem probe idem obseruandum, quod antea de iuramento purgatorio & suppletorio iam dictum vid. SCHRADERVS in l. admonendi ff. de iure iurando n. 250. & MENOCH. l. i. qu. 82. n. 1. & seqq. Multo magis hoc dicendum erit, quod per plenam probationem præsumptio generalis elidatur, hæc enim veritati cedere debet; Idem iudicium formandum de reliquis regulis antea excusis;

38 CAP. II. DE GENVINIS FVNDAMENTIS

excusis; Addamus adhuc vnicam: Sic *mutatio non præsumitur*, ergo si quid ad perpetuum rei usum est destinatum, & ad rem principalem ita relatum, ut *pertinens* dici possit, tam diu tale præsumitur, dæs es eum pertinenz *Stud* *sey*/donec aliud probatum fuerit, non ergo sufficient contrariae præsumtiones simplices, nisi semiplenam possint operari probationem.

*De concurrens specialium præsumptionum.* Ut autem hic cautelam procedamus in examine, quænam sit fortior inter plures concurrentes speciales, imprimis arbitror respiciendum esse ad rationem earundem, cur nimirum leges eandem ita determinauerint, & sic gradus probabilitatis sese statim ostendent. Vbi enim graduum differentias deprehendimus, facile etiam cognoscemus, quænam earum sit fortior. Sunt autem, ut supra dictum, quædam quæ magis accedunt veritati & paucas admittunt exceptiones, & hiarum genus est fortissimum. Quæ autem in remissori gradu probabilitatem habent, adeo ut fere æqualia admittant exceptionum exempla, illis tanta virtus adscribi nequit. Hinc inde statim tale necro axioma: *Omnis præsumtio violenta præponderat ceteris, & sic illi omnes alia cedere debent.* Exemplum elegans occurrit in l. 24. ff. de Probat. in qua lege specialium præsumptionum fit concursus (1.) enim certum est, quod non præsumatur solutio, nec (2.) mutatio, multo minus (3.) remissio debiti, quippe quæ donationem arguit, & tamen (4.) præsumtio violenta est, debitorem esse liberatum, vbi chirographum est cancellatum. Nam summa est præsumtio pro liberatione, quia summus eius fauor l. Arrianus 47. ff. de Verb. obl. adeo, ut nisi creditor manifestis probationibus ostenderit, *sibi ad-*

*Violenta  
præsumtio  
præponde-  
rat ceteris.*

sibi adhuc deberi, pro liberatione pronunciandum sit *l. tit. l. 24.* Ex eodem summo fauore liberationis porro fluit, quod si redditum est chirographum, solutio præsumatur *l. 4. infin. l. 5. Cod. de solut.* Et quamvis hic obstare videatur, quod non præsumatur donatio, ob hunc tamen fauorem omnino aliud dicendum: Eiusmodi violenta præsumtio quoque continetur in *l. 45. de Probat.* vbi præsumtio fortis est, indebitam non esse solutam pecuniam, qui enim soluit, inquit *I Ctus,* nunquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias iactet, & indebitas effundat & maxime si ipse, qui indebitas dedisse dicit, si homo diligens & studiosus patrifamilias, cuius personam incredibile est in aliquo errasse. Sed tamen in *§. 1.* hæc præsumtio eliditur per fortiorum contrariam si v. g. soluens sit minor vel mulier, miles, rusticus, forensium rerum expers, vel alis simplicitate gaudens, & desidia deditus. Adducam hoc etiam prælumitionem pro libertate, quæ cum etiam sit violenta iuris, huic omnes cedere debent, sic pro seruis adeo magna libertatis præsumtio est, ut testator voluisse manumittere seruum credatur, si dixerit in testamento ne eum alienes, ne cum vendes, *l. 24. §. ff. & l. 10. de Fidei libert.* Et ideo quoque semper debet ille seruitutem realem probare qui illam prætendit, *l. 9. & 10. Cod. de seruit. FAB. in C. L. 3. tit. 24. def. 8. Martin. in processu Sax. tit. 20. §. 1. n. 257. seqq.* licet vel maxime in quasi possessione seruitur sit constitutus, pro qua alias etiam præsumitur *CARRZ. l. 1. Resp. 67. Richt. decif. 18. n. 63. Illustr. Dn. STRYK. in not ad Lauterb. tit. ff. si seruit. verb. possident.* quamvis de libertate, & libertinitate forsan aliud dicendum per *l. 7. de liber. caus. l. 14. ff. de probat..* Sic præsumtio pro pietate paterna est fortissima *l. 28. §. 3 ff. de libert. leg. l. 72. l. 102. de Condit.* & Demonstr. adeo ut omnem

## 40 CAP. II. DE GENVINIS FVNDAMENTIS

mnem fraudis præsumptionem excludat l. 67. §. de Ritu Nupt. hinc si pater filio, quem prædilexit, qui sub conditione prælegauit, dicendum in dubio, illam esse impletam ex eius voluntate, licet alias in dubio conditio non præsumatur extitisse: Ino licet alias sit præsumptio pro æqualitate liberorum fauorabilis. Eodem modo non leuis militat præsumptio ex fauore partus desumpta pro eo, qui ex constante matrimonio progenitus (quippe pater tantum præsumitur, nam mater certa est semper) quod sit legitimus l. 6. de his qui sui vel alieni iuris sunt, quæ & matrem in agone contrarium dicentem mentiri potius præsumit aut morbo caput debilitante laborare vid. Ill. Dn. STRYK. de Effatis Agonizantium. Præsumptio porro omnem donacionem excludit, & error secundum Dd. effata potius præsumitur, quia non est mos hominum, res proiicere l. 2 C. de Prob. & l. 16 Cod. eod. Alciat. part. 1. pref. 10. & tamen aliquando hanc præsumptionem elidi per contrariam supra iam ostensum est.

*Quæ sit vi-  
olenta vlt-  
rius decla-  
ratur.*

§. XV. Verum obiicere quis posset: dixisti quidem plurima de præsumptionibus violentis, an non autem de ante rationis locutus es; cum non appareat, vnde haꝝ præ reliquis possint dignosci. Sed parce quæso, & mentem meam ita breuibus perpende. A posteriori, si rem considero, omnis cessabit difficultas, tunc enim tantum, uti cap. 1. dictum, respiciendum an lex requirat probationes maiores e. g. si dicat; evidenter probatioñibus opus est. A priori autem illas diiudicare posse, res est majoris diligentiae; supra iam fuere quædam prælibata de probabilitatis gradibus, ideo hic quoque in illis subsystemus, & hanc inde REGVLAM deducimus: *Quæcunque rationes fere summum probabilitatis gradum tangunt, ille sunt violentæ.*

Huius-

Huiusmodi *violenta* præsumtio, quæ apertissimas probations requirit, continetur in *l. fin. ff.* quod metus causa. Nam ipse *ICeus* ibi fatetur, ob grauitatem rationis, quæ contra illum, qui claram dignitatem se habere dicebat, erat, *graueum* hanc præsumptionem esse fundatam, quorsum & refero *l. 25. ff. de Pr. bat.* ex qua liquidissime constat, gradum probabilitatis summum ibi esse obseruatum. Et tandem ad legis determinationem me verto, quando nimurum propter singularem favorem, quem huic vel illi specialiter adiecit, aliquid grauiter præsumit, vnde ordinarie hic ex causa impulsua diiudicatur, ut est, si pro libertate præsumatur, pro pietate paterna, pro fiducia commisso, &c. cuiusmodi præsumptionum exempla plura reperiuntur in iam laudando tract. *Ill. Dn. STRYKII.*

*§. XVI.* Idem quoque iudicium ferendum erit de *In qualius* omnibus reliquis præsumptionibus, & quo proprius ha*ce* acce*ptatio* presumtio *dunt* probabilitati, eo maior illis in collisione *virtus attribuen* grauior ra*da est.* Quemadmodum enim legum tum ciuilium, tum *tio illa præ* naturalium in conflictu prævalentia ex grauitate rationis uale*tio* cognosci decet: ita & hic maior ratio verisimilitudinis, illam quæ infirmiore gaudet ratione, deprimit, testante *BALD.* in *l. sine possidetis in f. ff.* ut in possess. legat. *BRVN.* tract. de *Indic.* & *Tor.* *Iur. part. II.* q*p. vlt. n. 2.* vt hic circumspetum iudicium iudex omnino afferre debeat. Ponamus iam mulierem aut militem vel eum, qui alias rerum forensium expers est, se errorem commisisse fateri. *l. 25. § 1.* *ff. de Probat.* tunc ipsis non obiciendum, quod nemo præsumatur errare, cum hæc personæ partim non possint intelligere iura, partim tali non præditæ sunt industria. vt non possint errare, vti supra iam monitum, magis itaque probabilitati conueniens est, ab illis errorem comitti

quam

F

quam omnes adhiberi præ cautines. Meru nemo præsumitur percussus aliquid egisse, si autem enormis læsio ex contractu cum tali, cui reuerentia deberet, proueniat; aliter pronunciandum esse, vult MENOCH. L. 3. p. 127. n. 14. ibique alleg. Omnia ex rei veritate esse peracta, nec unquam simulatio præsumitur L. si maritus 14. §. fin. ff. qui & a quibus manumiss. Contrariam autem præsumptionem requirit casus sequens, quando scilicet peracta est cessio, de ejus vero titulo nihil constet MENOCH. L. 3. pr. 129. n. 29. hic enim præsumitur simulatio interuenisse L. 22. Cod. Man- dati cum non valeat cessio nisi ex titulo donationis L. all. 22.

*Quid dicen* §. XVII. Sed etiam considerandi sunt alii casus, v-  
dum de ca- bi veritas absoluta haberi nequit, sed tamen in dubio  
ſbus, vbi pla aliquid præsumendum, in quibus casibus hæc regula lo-  
ne non potest  
haberi veri- cùm haberet: ubi lex quid simpliciter determinat præsumptione  
143. in casu plane dubio, runc præsumptioni huic determinate statur,

non attentis aliis præsumptionibus in contrarium. Huc im-  
primis pertinet, præsumptus ordo mortalitatis, quem Illustr.  
Dn. STRYK. in tract. de success. ab intest. diff. 10. egregie  
explicat, & hunc a naturali ordine in eo distinctum esse  
obseruat, quod hic citra juris dispositionem secundum  
naturam ipsam præsumatur, ille vero, si naturaliter con-  
stare nequeat, quis prædecesserit, certa ratione partim  
naturali partim ciuili, ac dispositione legis aliquid præsu-  
mat. Si itaque pater cum filio impubere simul perierit,  
filius non obstantibus aliis naturalibus præsumptionibus  
creditur prædefunctus, l. 9. in fin. de reb. dubiis. tum quia  
filius non tanti roboris est, quanta in patre præsumitur,  
nam hæc ætas magis morti succumbit arg. l. 26. in fin. ff. de  
fact. dotal. tum quia ob timorem & perturbationem ani-  
mi sibi mortem facilius conciliant impuberis. Aliud est  
dicendum, si filius iam in pubertate fuit constitutus, vbi  
ex le-

IN COLLISIONE PRAESVMT. OBSERV. 49

ex legis dispositione filius patrem superuixisse creditur *l. 9.*  
*§. 4. de rebus dubiis.* Quod iam de patre, cum filio mis-  
seribili quodam casu simul moriente, dictum, ad matrem  
quoque applicant, sub eadem distinctione *l. 22. ff. de reb.*  
*dub. l. 23. ff. eod.* Porro si in bello impubes cum patre  
perierit, filius superuixisse creditur, quippe qui prælium  
non sequitur, nec aggressori hosti resistere valet. Si ve-  
ro pubes cum patre aciem ingreditur, cum pro utraque  
militet naturalis præsumtio, hinc neuter neutrum super-  
vixisse credendum, & ad solam decisionem *l. 9. § 4. de reb.*  
*dub. recurrendum,* quæ superuixisse filium patri vult. Ita  
etiam in casu, ubi patri cum filia infortunium contingat,  
est naturalis præsumtio pro sexus excellentia, ob super-  
uenientem tamen fauorem juris, ordo mortalitatis hic  
retinetur *l. 15. ff. de inoffic. test.* & infinitum foret, omnes  
casus huc spectantes referre, quos tamen admiranda in-  
dustria & soliditate vberius excusit Ill. Dn. STRYK. lau-  
dato tract. qui si examinentur, apparebit, aliquando ex  
solo fauore factam esse præsumtionem, licet forsitan aliæ  
præsumtiones in contrarium adduci possint.

*g. XVIII.* Haec tenus de concursu præsumtionum iu-  
rium inter se & cum simplicibus actum fuit, restat igitur,  
vt etiam de collisione, si plures simplices in uno eodem  
que iudicio se offerant, inquiramus. Has in iudicis arbi-  
trio positas esse iudico, qui tanquam vir bonis ex cir-  
cumstantiis ptopspiciet, an tales sint, vt exinde sententia  
sua litem decidere possit. In mixtis præcipue iudiciis,  
vt finium regund. Famil. Ericund. & communi diuid. vt &  
in interdicto vti possidetis maximam vtilitatem afferunt.  
Hic enim potest vel rem possidere, vel saltēm possessionem  
prætendere, & sic vtriusque fauor æqualis est, vt

*De concursu  
præsumtio-  
num simpli-  
cium barū-  
que collisio-  
ne.*

50 CAP. III. DE FALSIS ET INADAEQVATIS

alter alterum excludere nequeat; vterque potest esse & actor & reus, vterque præsumitionibus certare, DECLAN. Lib. 3. c. 17. n. 6. Hic itaque arbitrabitur index, pro quo fortior militet præsumtio. Si itaque eueniat, iudicium finium regundorum esse institutum tunc in dubio v.g. intermedietas, inter duo signa finalia extrema præsumuntur eius, cuius signa sunt. ALEXAND. l. 133. n. 6. & ita a Facultate Illustri Rintelensi responsum fuit 2. Aprilis, anno 1690. So halte wir davor/ daß/ so ferne die von N. nicht einanders/ und zwar nicht durch eine blosse gemassete Possession, besondern durch eine solche de cuius iustitia constat, beybringen werden/ es billig bey solchen alten limitibus zu lassen sey/ præsertim cum in probatione confinium & terminorum antiquorum *probationes minus perfecte & probabiles coniectura recipienda* sint, ita etiam, si quis separatis incepit negotiari, modo id fiat tempestive, non tenetur probare. ipsum amplius non stetisse in communione, MENOCH. lib. 3 pres. 60. n. 11. plura eiusmodi exempla in foro satis iudicium iudicia exercent, quæ hic brevitatis studio, B. L. vltiori meditationi relinquo, cum secundum hactenus dicta examinari facile possint.

CAP. III.

De

FALSIS ET INADAEQVATIS FVNDA-  
MENTIS COLLISIONIS PRAE-  
SVMTIONVM.

§. I.

Vnde tanta in interpretatione confisio erit, **M**aximum I*Cti* officium in interpretatione confi-  
stere, omnes fatentur sed non omnes suo satis  
faciunt officio & imprimis hic saepe hallucinati  
sunt

## FUNDAMENTIS COLLIS. PRÆSVMT.

51

sunt icti antiquiores, dum casum obscurum clariorem reddere sepe frustra laborauerunt: Vnde autem hæc difficultas orta, non adeo absconditum est, non enim in verum fundamentum inquirere ipsis cordi erat, sed cœca quasi veneratione præcepta avorum, & imprimitis scholasticæ Dialectices sequi magis atabant: donec primus moralium scientiarum instaurator, Hugo Grotius, & post illum alii cordari viri ipsos de folio decenterint, ostendentes nullo laborem eorum nisi fundamento. Patarunt, quidem se regulis egregiis esse instructos, adeo ut qui maiorem earum numerum & aceruum poterat producere & conglomerare infinitas limitationes & exceptiones, hic demum summæ, hic profundaæ eruditioñis encomio dignus haberi deberet: Enim vero, cum paucioribus adiniculis non erant contenti, sed quemlibet fere casum speciali regula includere tentarent, mira inde confusio & obscuritas orta. Eadem fere sata haecen fuerunt præsumptionis materia; Hanc enim eodem modo ex regulis innumeris pene addiscendam esse voluerunt: cum eis potius respicere debuissent, ut rem breuiori via clariorem redderent, & non ex inadæquatis superfluisque fundamentis deriuarent. Hoc itaque si probe Doctores ubique perpendissent, non ita absque omni ulteriori inquisitione omnia, quæ poterant inuenire, corraderet, & inde confusum aliquid Chaos luci exponere studuisse. Sicuti autem scientia non ex eo tantum dividatur, ut genuina fundamenta ponantur, sed etiam ut falsa & inadæquata remoueantur: Ita & ego, postquam genuina collisionis præsumptionem fundamenta indagauit, illaque vel tribus tantum regulis comprehendendi posse ostendi, ad quæ tamen meo iudicio omnes obvientis casus referri possunt, de-

F3

inad-

52 CAP. III. DE FALSIS ET INADEQUATIS

de inadæquatis etiam fundamētis hic aliquo modo agere  
necessē duxi.

*Menochius  
in specie hic  
notatur.*

§. II. Omnes omnino huc afferre regulas vel falsas,  
vel insufficiētes nostri quidem instituti non est, nec tem-  
pus erit, nec charta omnium caperet opinōes, quam-  
uis alias multi derentur, qui hic essent notanti. Ne i-  
taque nobis cum turba res sit, demus falsa cause Aduo-  
catum. Et quem magis ei dare possemus, quam ipsum  
Menochium, qui non mediocrem laborem impendit in  
elaboranda præsumptionum materia, dumque nullum ge-  
nus controvēsiarum, quod præsumptions tangit, relin-  
quere intactum voluit, etiam ad thema hactenus a me  
excussum accedit, & speciali quæstione inquirit. Qua-  
tenus altera ex pluribus diuersis vel contrariis præsumptio-  
nibus & conjecturis eodem in actu vel causa concurrenti-  
bus, aliis validior ac potentior sit. de *Præsume Lib. 1. qu. 29.*  
Ante hac quidem se quæstionem illam iam attigisse fate-  
tur, in *tr. de arbitr. iudicium quest. Lib. 2. casu 472.* hoc au-  
tem loco, quæ adhuc deesse videbantur, addere voluit.  
Satis quidem laudandum propositum, sed infelicissimus  
euentus; Non satis Menochio erat regulas decem vel vñ-  
decim in scenam deducere: sed maioris confusionis exci-  
tandæ gratiæ ad huc exaugendus erat numerus Regula-  
rum.

*Excutitur  
primæ regu-  
la Menochii.*

§. III. Ne vero iniuriam fecisse videar tanto Icto,  
percurrenda sunt brevibus pro ratione instituti singulæ ab  
ipso propositæ Regulæ, & sic facile apparebit, quod non  
omnes regulæ, quas tradidit dicto loc. pro adæquatis sint  
habendæ. Est ergo primo loco excutienda illa, quam  
*Examina-* num. 3. de *Præsumt.* ita effert: *Illa præsumptio creditor esse*  
*prima fortior & potentior, que actum consilere facit & huc afferri*  
*regula.* solet

folet l. 12. & 21. de Robus dub. Sed enim vero hic magnam latere fallaciam ex ipsius textus inspectione statim apparet. Lex enim ista non tam præsumptionem, sed potius interpretationem continet; Neque inde mihi cum efficacia poterit opponi: quod tamen pro actus validitate sit coniectura capienda; nam oriri inde coniecturam, non diffiteor ut ex omni interpretatione, ceu e. i. ostendi; hæc tamen in collisione non adeo habebit efficaciam, prout cap. 2. præsuppositum; meri igitur res arbitrii est, de quo iudex secundum prudentiam cognoscere debet; utrum vincere debeat nec ne: Et tandem quoque hic magnum dubium facit, quod leuis hæc coniectura, admodum sit particularis, & multis instantiis adeo obnoxia, ut in plurimis exemplis effectu careat. Hinc si mulier soluerit indebitè, hic iura irritant potius actum quam confirmant, dum præsumunt errorem.

§. IV. Altera regulahæc est: *Præsumtio, que ex sub-Retiuitur stantia prouenit, dicitur potentior illa, que descendit à solen secunda nitate:* Hujus fundamentum queritur in l. non codicillum 14. Menochii C. de Testamento. vbi ab Imperatore deciditur an testamentum vel codicillus dici debeat, si de institutione & exheredatione in ultima voluntate constet, Quia vero cum præcedente iisdem laborat ambiguitatibus, eandem decisionem etiam meretur; ideoque hic excurrere nolo, sed ad ea prouoco, quæ cap. 1. §. 17. dicta vbi de comparatione inter præsumptionem & interpretationem simul disserui.

§. V. Hoc ergo misso me potius consero ad ter-declaratur tiam Regulam, quæ a Menochio sequentibus concepta & exami-verbis: *Illa præsumtio indicatur potentior, que est benignior, natura Ter-Hæc quidem satis adæquata videretur: sed in eo ambiguitas. quid*

34 CAP. III. DE FALSIS ET INADAEQVATIS

quid remanet, quod non bene fauorabile & odiosum distinxerit, sed more vulgi falsitate tamen adiudicatum laborante, fauorabile infinite reliquerit, cum tamen quod vni fauorabile, alteri odiosum sit, ut adeo plerumque hic Dd. incertis vagentur fundamentis, de quo pluribus vid. Excellent. Dn. THOMASIVS, *in Appendice. libr. II. Iurisprudent. diuine.* Latet vtique in eo egregia præsumtio, & certe non vulgaris sed violenta, sed non aliis admittendus est fauor, quam quem lex determinauerit ad hunc effectum, ut liquidissimas probationes in contrarium exigat, hinc insisto regulæ fusius a me cap. 2. de hac præsumtione traditæ ac explicatae.

*Reiicitur  
quarta.*

§, VI. Regula quarta est talis: *Illa præsumtio indicatur firmior & potentior, qua iuri communi inheret, & illa debilior qua iuri speciali.* Hanc vero inuertendam potius esse existimo, nec absque ratione: Ius commune enim restrictionem a specialiori iure accipere magis constat, cum nec leges generales tollunt ea, quæ specialiter certo in casu sunt introducta l. 26. & 28. ff. de LL. In eo vero simul ambiguitas latitat, quod non constet, quid sibi velit Menochius cum iure speciali, seu quam præsumptionem ex speciali iure oriri putet. Si enim ius particulare intelligit, regula haec nullo modo procedit, quia non nisi in subsidium aliis particularibus remedii non existentibus ad ius commune configendum esse cordatorum ICtorum est sententia. Sic vero prærogativum hic intelligit, ut hoc intellexisse videtur, haec regula itidem esset inadæquata, quoniam, cum prærogativum aliquid de iure communi remittat, meo iudicio dicendum potius videtur, quemlibet magis sequi voluisse illud, quod facilius est; Nec potest in contrarium obiici l. 7. ff. de iniust. rupt. & irrit. quæ testamentum

mentum iure speciali conditum iure communi valere disponit; In hac enim lege ratio decidendi in eo est sita, quod post annum missione testator deceperit, ubi amplius testamentum ut militare valere non poterat, sed necessario hic cessare debebat priuilegium militare: nunquam enim miles beneficio suo renunciasse videtur, ob id quod illo semel non vsus fuerit, vti appareat ex l. 3. ff. de Milit. Testamento. de quo vtlerius vid. Ill. Dn. STRYKVS dissert. de Temam, priuilegiatis cap. 1. §. X.

§. VII. Specialem præsumptionem elidere generalem, <sup>Quinta ad-</sup>  
probatum est cap. antec. Ideoque quoad quintam regulam <sup>mittitur.</sup>  
a Menochio non dissentio; Et cum copiose de illa ege-  
rim cap. 2. hic omnia repetere nolo, ne fastidium excitare  
velle videar. Ad sextam ergo progredior, in qua Meno-Sexta de-  
chius disponit, quod præsumptioni magis specialiori cedereclaratur.  
debeat specialis, de qua nullum erit dubium; si modo o-  
stendisset Menochius, ex quibusnam signis cognosci pos-  
set, quænam præsumtio sit specialis, & quænam magis spe-  
cialis; Quod enim illa sit specialior, quæ certum respe-  
ctum ad singularem personam habet, vt ego puto admou-  
dum obscure dictum est; Hanc autem nos magis specia-  
lem putamus nominari melius posse, quæ, vti iam supra  
hoc declarauimus, ex declaratione legis est violenta & si-  
mul potentiore, seu magis specialiorem habet rationem  
& probabilitati seu veritati ita magis accedit ut cap. 1. & 2.  
pluribus ostensum.

§. VIII. Missa hac septimam aggredior, cuius fun-  
damentum in l. 3. C. de Episc. & cleric. sicut esse vult: Pro-  
ponitur ibi casus, ubi fornicatio incestus aut aliud cri-  
men cum consanguineis committi non præsumitur; quia scilicet  
nihil saui criminis existimari fœdus naturale permittit, & ex  
his

56 CAP. III. DE FALSIS ET INADEQUATIS

his verbis regulam sequentem eruit: *illa presumtio, que est naturalis, potentior est illa, que accidentalis.* Sed minus recte haec conclusio exinde poterit inferri cum dictat. hic nihil speciale contineat; sed ex generali ac communi presumptione casum hunc decidat; quod nunquam delicta presumantur. Præterea & hoc considerandum puto, quod lac regula non indigeamus, si concedamus, quod presumptionis iuris præponderet presumptioni simplici, utpote quæ tantum ex accidentalibus circumstantiis eruitur.

*Ottavius.* §. IX. Verum quidem octauo est: *illam presumptionem super- dux. dem super-* valorem, que verisimilitudini magis conuenit. *Regula no-* Sed & hac carere possemus, cum quæ in regula sexta fuerunt proposita, hic tantum repetantur, & idem his dicatur variatis saltē phrasibus. Nona regula vult, quod *ne excutie presumptione pro actore sit fortior, quam illa que pro Reo est,* Noua haec quamuis non possit dici regula, cum ex regulis generalibus c. 2. suppeditatis per se fluat singulari tamē effectu gaudet, scil. quod ex hac presumptione pro possessore possit pronunciari, & cum magis probabile sit reūm possidentem esse verum dominum ac iustum habere titulum, ad actorem deuoluitur omnis probatio. Cum vero aliquando quoque pro Actore militent presumptiones, quæ onus probandi Reo iniungunt, sequitur ut non uniuersalis haec regula dici possit.

*Decimam.* §. X. Decimam, quam porro adducit regulam: *Con-* falsam esse secturam, que descendit a quasi possessione potentiorē esse doceatur. illa, que est, quod quelbet res presumatur libera, plane re- iūcio; cum veritati & legibus directo contrarietur: ceu iam cap. II §. 14. p. 43. ostensum.

*Vndeclima.* §. XI. Quæ undecimo loco affertur, quod negativa inadeguata fortior sit affirmativa, noua presumptionis non est, sed funda- cēs. mentum

mentum eius situm est in ordine probationis; vbi regulariter afferenti probatio incumbit, ille vero qui in negativa intentionem fundat, auctore non probante, absoluatur. Diuersum ergo est, an aliquis qui probationibus non gruatur, sit absoluendus; An vero cum pro aliquo pugnet presumptio, alter ad *majores* probationes compellendus. Imo cum & dentur casus, vbi negativa probanda, vti ostendit Dn. COCCERIUS, de probat. directa negative, hæc regula tunc nullius momenti amplius est.

S. XII. Duodecimam, quam tradidit regulam iam *Duodecima* examinandam suscipio. Comparatio ibidem instituitur refellitur. inter rationem naturalem & civilem; & tandem hæc conclusio formatur: *Præsumptio, que a ratione naturali desumitur, fortior est illa, que a ratione ciuili petitur.* Quod autem eam ad præsumptiones retulerit, in eo maxime hanc materiam obscuriorem reddidit: Neque enim ostendit, qua ratione naturalis & ciuilis ratio inter se differant, & in quo prærogativa naturalis rationis fundata sit. Vnde etiam cuenit, vt in hac regula desiderari debeat vniuersalitas; Nam rationem naturalem a ciiali sæpius vinci vel ex hoc exemplo appetet: Naturalis quidem præsumptio est, matres habere sopyn erga prolem; Si vero huic ciuilis ratio opponatur, e. gr. secundas nuptias in iure esse odiosas, quod hic ciuilis vincat naturalem, quis iurium est tam imperitus vt hoc nesciat? Et quamvis Menochio concederem, esse hanc aliquo modo præsumptionem; Non tamen inde deberet struere specialem regulam; sed patiis hic prouocare ad gradus probabilitatis, & legis determinationem, vnde septima & octaua ab hac non diversa videtur.

S. XIII. Quam loco decimo tertio protulit regulam,

## 58 CAP. III. DE FALSIS ET INADAEQVATIS

*tia exami-* iam, huc non quadrare certum est, cum ut *absurda & in-*  
*natur.* *equalia* cuitentur, Logici magis erit & interpretis, quam  
 legis præsumtientis: adeoque hæc longiorem excusionem  
 non meretur, sed quæ iam de interpretationis confusione  
 capite i. dicta sunt, & quæ ad Reg. i. & 2. §. III. & IV. iam

*Decima* iam annotauit, hic quoque sunt applicanda. Quoad de-  
 quaria non circam quartam regulam, ipsi concedo in aliquibus exem-  
 plis præualere præsumptionem a facto illi que a non facto  
 sumta est: Sed in eo falsitas latitat, quod petatur ratio  
 a facto & a non facto; Nam si præsumtio sumi debet a fa-  
 cto, fateor falsam videri illam Regulam *falsa non præsumi*  
 Hinc potius dicerem, illam, si inuerteretur, veriorem  
 esse; Et quod illa præsumtio, que in non facto consistit, sit  
 potentior illa, que in facto sequenti exemplo illustrabo: No-  
 rum est quod solutio sit facti, adeoque non præsumatur:  
 si itaque quis se in hac fundat, hoc debet probare, si er-  
 go aliqua adsit præsumtio pro solutione, ratio certe hu-  
 ius deberet esse validior, alias non vincet præsumptionem  
 contrarium quæ est, quod solutio non præsumatur.  
 Alia adhuc exempli loco possent adduci, sed breuitatis  
 studio hoc solum sufficit, ad docendum quod ratio non  
 consistat in facto & non facto, sed potius in ratione for-  
 tiori præsumptionis.

*Vltima* est §. XIV. Vltima nunc est illa, quod præsumtio que fa-  
 impertinens uet anima, & saluti eterne sit omnibus potentior: Et ratione  
 vtique non caret, cum vero hic tantummodo versemur in  
 ciuilibus, & de aliis præsumtionibus solliciti non simus,  
 hæc nostro instituto inseruire non poterit, præsertim cum  
 etiam contrariis exemplis eius vniuersalitas satis deduci  
 queat; sic enim matri in agone mortis constitutæ & con-  
 fidenti se ad vterium commississe, & exinde infantem illum  
 esse

esse natum, potius credendum esset, cum faueat animæ, quod tamen iuri ciuili contrariatur. Nec huic facit exemplum, quod dedit de ex communicato; qui cum semel talis, porro idem præsumitur; Nam hoc quidem satis recte; sed fundamentum non est petendum ex eo, quia consulitur animæ; hoc enim modo committeretur fallacia non causa ut causa; sed potius quia absolutio est facti, & hinc non facile præsumatur.

§. XV. His nunc ita examinatis, concluso. Regulas, quas fusi hic tradidit Menochius, rem ipsam non attingere; sed vel falsas esse, vel insufficienes & inadæquatas, vt his in examinanda collisione præsumptionum considere tuto nemo queat. Non itaque studio contradicendi sed necessitate fui inductus, vt cap. 2. alias constituerim, quæ nec propter multitudinem ingenium obruunt, nec adeo incertis, vt puto, nituntur fundamentis. Quæ si non omnem rei veritatem attingant, B. L. pro sua benevolentia omnia in bonam interpretabitur partem, animoque perpendet, difficile esse in tanta obscuritate rerum semper rectum sequi, tramitem. De cætero quod imbecillitatí virium mearum tantum opus imponere non veritus fuerim, æqui bonique consulat, & non tam euentum quam bonum respiciat conatum.

## COROLLARIA.

I.  
**B**ona Ecclesiæ dotalia & Mensalia sunt quidem regulariter inalienabilia & inpræscriptibilia, non vero patrimonialia & Fiscalia ante incorporationem perpetuam; Admittunt tamen alienationem per surrogationem æque idonei vel melioris rei.

G 3

II. Fru-

60 CAP. III. DE FALSIS ET INADEQUATIS

II.

Fructus & redditus Dominalis rei vel iuris ecclesiastici libero Prælatorum dominio & commercio subiecti sunt.

III.

Vnio duorum fundorum, diuersarum qualitatum accessoria, non extinguit pristinam qualitatem diuersam. Sic si vniatur allodium cum feudalii, dimidia manet feudalis, altera allodialis.

IV.

Subfeudum Censuale Masculinum respectu census tantummodo est degenerans & impro prium, in reliquis propriam feudi naturam retinet.

V.

Dispositio L. bac edictali 6. Cod. de secund. Nupt. In imperio Rom. Germanico hodie non habet locum, nisi ubi eius receptio localis ab allegante probata fuit.

VI.

Statutum disponens in præiudicium cognatae de successione Geradae filia innupta, non habet locum in successione Geradica filia viduata.

VII.

Solitarium dominium superficie parietis ex eius fundamento etenus probatur, quatenus recta linea ex fundamento secundum stateram surgit in altum.

VIII.

Manutenibilis quasi possessio seruitutis itineris, absque scientia & patientia domini prædii seruientis non potest acquiri.

IX.

Emitio venditio pertinentiarum fundi caduci, cum consensu

consensu Domini feudi per auersionem celebrata omne  
commodum, & periculum ad instar emtionis spei ad em-  
torem transfert; Adeoque ex*l.* 2. *C. de Rescind. vendit.* em-  
ptor conueniri nequit.

X. Litteræ inuestituræ quem esse investitum probant;

& difficulter admittunt probationem in contrarium.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DN. RESPONDENTI,

S. D.  
PRESES.

Iuris peritiam absque prudenti applicatione esse informe & rude  
Sceleton, iam dudum peritores animaduerterunt; sed etiam  
applicationem absque prudentia nil nisi turbas & sophisicas confu-  
siones parere æque indubium est. Neque enim meo quidem iu-  
dicio illi ICtorum numero accensendi sunt, qui solidiori doctrina  
destituti allegationibus infinitis delectantur & communibus inhæ-  
rent opinionibus, non diuidantes accurate illa, quæ ab aliis sunt  
dicta: sed potius hos, qui ad applicationem iuris afferunt iudicium  
politum & limatum solidiori iuris prudentia instructum, ICtos veros  
essi iudicio. Quæ vbi mente mea repto, insigni afficit latitia  
quod videam Te, Clarissime DN. HEROLDE, hanc differentiam  
exacte obseruasse, imo præsenti Tua disputatione publice ostendisse,  
Te solidioribus innutritum esse doctilinis. Aggressus certe es tale  
thema, quod parum vel saltim minus accurate adhuc est elabora-  
tum & in quo Menochius, qui alias cum Mascardo & Mantica *Pater*  
*Practicantium* vulgo dici solet, omnia miseranda confusione ita  
inuoluit, ut parum vel nihil solatii ex illo hauiire potueris. Hinc  
omnes bonos in eo consentientes habeo, Te rem Tuam in elabo-  
rando hoc themate bene egisse, & ita quideam, vt, quantum ali-  
quando

quando de Tua solidiori doctrina expectare posuit Respubl., facilis  
coniectura asequi posimus. Neque vero id mirum cuiquam vide-  
ri poterit, cum industria Tua omnibus satis sit cognita, vt meo te-  
stimonio non indigent. Optime itaque fecisti, quod vestigiis prae-  
clarissimis Patris Tui Optimi, Excellentissimi DN. Consiliarii Re-  
giminis, & ICti famigeratissimi, Patroni mei venerandi insistere ad-  
modum allabores, quippe cuius eruditio in iure singularis satis praes-  
dicata est, & de qua eruditissima eius scripta uberrimum testimoni-  
um perhibent, quem praenuntiem si vterius sequi perseueraueris,  
aliquando cum fructu insigni deprehendes, Te non frustra laborasse.  
Gratulor itaque Tibi de hoc primo Eruditionis Tuæ specimine, quippe  
quod indicium præbet, mox grauiora secutura esse. Gratulor  
Excellentissimo Parenti Tuo de filio tam erudito, & qui eius ve-  
stigia tam laudabili studio legit. Gratulor Genti Tuæ splendidissimæ  
de tanta spei prospiciæ. Et denique gratulor etiam mihi, quod iam  
re ipsa deprehenderim eventuum intentioni meæ exactissime respon-  
disse. De vs porro secundet Tua studia & dirigat illa ad eum scio-  
pum, quo tendere debent omnia nostra negotia, vt aliquando &  
Reipubl. & Genti Tuæ florentissimæ afferre possis incrementum,  
magnumque Decus. Vale Dab. d. XI. Octobr. M DCC II.









XL.

*DISPUTATIO IURIDICA*  
DE  
**COLLISIONE**  
**PRAESUMTIO.**  
**NVM,**  
*QVAM*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**D N F R I D E R I C O**  
**WILHELMO,**  
CORONAE BORUSSICAE, ELECTORATVSBRAN.  
DENBVRGICET CETERARVM PROVINCIA-  
RVM HERED E &c. &c.  
IN REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA,  
P R A E S I D E  
**D N . IVSTO HENNINGO** *Göhmer*,  
IVRIUM D. EORUNDENQUE PROF. PUBL. EXTRAORD.  
*d. octobr. M D C C I I.*  
IN AUDITORIO MAJORI,  
Publico Eruditorum Examini submittit  
*AVCTOR*  
**FRIDERICUS GVILIELMVS** *Herold*,  
Hallens. Magdeb.  
SECUNDA EDITIO.  
HALAE MAGDEBURGICAE,  
Litteris JOHANNIS GRUNERI, Acad. Typogr.